
ANDREAE CAMVTII THEORI-cam in Gymnasio Ticinensi primo loco publicè profitẽtis,

De Humano Intellectu Libri Quatuor.



VIRESCIT VULNERE VIRTUS

PAPIAE
Apud Hieronymum Bartolum. M D LXIIII.

ILLVSTR.mo ATQ. REVER.mo
CAROLO BORROMAEO
Aronæ Comiti, Mediola
nenſis Eccleſię perpetuo
Adminiſtratori, ac
S. Romanæ Eccle
ſiæ Cardinali
ampliſsimo.

ANDREAS CAMVTIVS. S.



VMANARVM virtutum (quod Philoſophos latuit) maxima omnium eſt humilitas. Quippe quæ mentem humanam ad virtutes diuinas (quæ forinſecus accedunt, ac non niſi diſpoſitis illabuntur) ſuſcipiendas præparat.

Proinde Spiritus Sanctus hominum saluti prospiciens, sacris in litteris inquit: Nisi credideritis, non intelligetis, perinde ac si ita loqueretur: nisi Deo summo rerum authori, quem naturali vobis indito lumine; cognoscitis abunde, ceruices vestras flexeritis, nisi colueritis eundem, ni vos ipsos sic humiles præstiteritis (quam humilitatem necessario diuina sic exigente clementia, fides consequitur) non intelligetis, scilicet ea, quæ naturæ vestræ illius imbecillæ captum excedunt: Humana porrò sapientia perperam id inculcat, nempe nulli enuntiato fidem adhibendam esse, ni aut primum principium sit, aut inde certa quadam ratiocinandi lege formaue deductum

ctum ſit : ſapientia inquam, non verè ſimpliciterq; dicta, ſed cum hac miſera adpendice : humana, id atq; alia id genus perſuadere nititur. contra lex diuina, quæ ſecluſo quouis adiuncto, numeris omnibus abſoluta eſt ſapientia, ſidem exigit (quam in adultis ſaltem neceſſariô præcedit humilitas) prius quàm intelligas. Verumenimuerò profuſa Dei benignitas interim credentibus vltrò nobis, affatim ſapientiæ latices effundit, humanam certitudinem (quam ſcientificæ demonſtrationes parturiunt) longo interuallo ſuperantes. Adeò conſtat experientia (quanquam humanæ cognitionis fineis egreditur) fidei habitum, ei quem ſcientiæ gignunt, anteire : quod adpo-

ſitiſſimè ſummi vir ingenij; Mirandulanus ille Ioannes Picus, ætatis ſuæ decus adnotauit. Interea callidiſſimus humani generis hoſtis, ſicubi quenquam excellere, cùm ſcientia, tùm ingenij viribus conſpexerit: mirà quà ſemper conſueuit vafricie, ſtimulos addens hominibus ſciolis, vano gloriæ ſpiritu mentes replet, atq; in tumorem attollit & inflat: idúe non ſciētiæ ſolertiæq; vitio (quæ Dei dona ſunt) ſed impuritate mentis, humilitate carentis: Adeô partim propria leuitate, partim inſtigatione diabolica ſeductus animus, non modò non adſentitur ijs, quæ probari nequeunt, quālibet veris teſtimonioq; diuino confirmatis, verumetiam vltrò quanplurima renuit, quæ

præ-

præter id, quòd ab omnibus ferè vel Ethnicis creduntur, etiam firmissimis rationibus (videlicet ab exercitatis saltem) probari possunt. Hinc nimirum adsertiones impiæ illę fluxerunt, nempe mentem humanam esse occasui interituiq; obnoxiam, aut in omnibus vnam particularibus hominibus offendi, corruptionis expertem. Quid plura? vix vnum reperias aut alterum, qui Sanctum Thòmam sequi dignetur, præsertim hoc in negotio benè sentientem: qui certè quãuis perpulchrè declaret intellectum humanum iuxta Philosophi mentem, cùm immortalem esse, tùm multiplicem: nullam tamen (quod sciam) demonstrationem. attulit (si rationem vnam excipias) qua posi

tionem ſuam confirmaret. Accedit quòd omnes penè derelicto viro tam ſancto tanq; erudito, Philoſophum in fruſtra ſecant, atq, diſcerpunt. Equidem hoc in opere pro viribus laboraui, vt non ſolùm Ariſtotelem putaſſe, noſtrum intellectum corruptionis expertem eſſe tùm multiplicem, adſtruerem: verumetiam id ipſum prætermiſſa tantiſper eiuſdem Philoſophi mente, demonſtratiuis (ni fallor) rationibus cō cluderem. ſic etenim futurū ſperaui, vt impiorum ora cluderentur, qui Chriſtianos cum Ethnicis Philoſophis de animorum immortalitate diſſerēteis, haud poſſe tueri ſeipſos autumant: præterea ne Philoſophiæ nuper initiatis iuuenibus (quorum præci-

puè

puè nobis habēda fuit ratio, videlicet ne forsitan ab impijs Philosophis seducerentur) ossa deesset, quam semel aut pluries, in os Cerberi latrantis inijcerent. Cæterûm magnanime CAROLE fœtum hunc, omnium quos hactenus pepererim, & maiorē & longè preciosiorem, tibi vni præcipuè offerendum esse duxi: vt aliquando scilicet intelligeres, non modò natos meos seruitio tuo mancipatos esse, quibus alioqui nihil mihi charius esse nec debet, nec potest: verumetiam vt meipsum quoq; tibi deuinctum esse, certò scires. Equidem iandiu sub tuo nomine, decreueram hoc ipsum opus in lucem edere: at varijs distractus negocijs diferre volebam in

futu


futurum annum hunc laborem:
Eugenius porrò filius meus, quip
pe qui præter iuris vtriusq; peri-
tiam haud vulgarem, Aristoteli-
cæ doctrinæ mordicus hærens:
cuius organum (Logicam nun-
cupant) vnâ cum libris eiusdem,
scientiæ naturalis tanta felicitate
hausit, vt eius quoq; disciplinæ
lauream; vel grandi Medicorum
atq; Philosophorum omnium,
qui Ticini profitentur, admira-
tione, consequutus fuerit, idúe
præuia in scholis aliquotiens di-
sputatione publica: Eugenius in-
quam præter id, quòd eum hæc
disciplina mirificè delectat, adeò
cupiebat à me sub tuo nomine
quidpiam te dignum euulgari:
tam anxiè tibi propemodum vni
seruire obsequiúe desyderat: tan

ta

ta animi simplicitate, tantoq; ad sectu te obseruat; vt retroactis mensibus nunquam ad me scripserit, quin vel importunè supplex (vt ita dixerim) hoc ipsum à me petierit: adeò continuis ferè per annum integrum efflagitationibus, quanquam id exequi penitus erat decretum, tamen illud ipsum ocyus ac putaram, extorsit. Si meis conatibus (quod te dignum arbitror) faueris, alios præterea conceptus edam in lucem, tuo nequaquam indignos patrocinio, scilicet quos adhuc animus vtero suo gerit immaturos. Vale faxit Deus Optimus Maximus, vt nobis diutissimè ser ueris incolumis. Ticini mense Iunio, Anno partus Virginei. M D LXIIII.

AD EVNDEM ILLVSTRISS. ATQ. REVERENDISS. CARDINALEM BORROMAEVM.

ANDREAE CAMVTII BREVIS Apologia, in qua pollicetur, se publica dispu tatione deffensurum, quidquid hactenus scriptis prodidit.





A EST hominum cõsuetudo, vt in vna facultate nedum pluribus, excellere neminẽ concedant atq; patiantur; quò fit, vt quiuis ferè velit vltrò censorem agere: adeò praeceptoribus ac (vt ita dixerim) legislatoribus abundat vniuersus orbis, vix alicubi reperias inter togatos vnum aut alterum, quem haud pudeat esse discipulum. in summa (quod ait

poæ-

poæta ſcitè atq; eleganter) ingenio qui velit cedere, nullus erit. Quorſum hæc? tota penè vita non defuere tyranni, qui pluries mihi præter rationem inſenſi fuerint, & hodie dum hoc ipſum opus ſub prælo cuditur, adhuc meæ famæ glebarum inſtar grandium imminent. primùm obijciunt fieri non poſſe, vt tot diſciplinis addictus, in arte medica quidquam effatu dignum mihi præſtare liceat, quòd ſic mihi tempus haud ſuppetat. Secundò quòd emittere edereq; in lucem diſputationes & opera, faſtus argumētum & ſuperbiæ, pariter ac temeritatis euidentiſſimũ ſit: quibus obiectis, non eſt quod reſpondeã, quando craſsiora ſint, & magis inſipida, quàm vt reſponſionē requirant. Quam ob rē Illuſtriſsime Præſul ſi ita iuſſeris, ſimul ac operæpreciũ eſſe iudicaueris, quidquid hoc in opere difficilimo ſcriptis proditũ eſt: præterea quidquid hactenus meo nomine prodijt in lucē, idipſum Romæ, vel vbicũq, volueris, diſputatione publica deffenſurum me polliceor; idq́ue non per decem aut viginti dies tantùm, ſed quouſq; nobis haud defuerit dimicantium copia,

qui

qui mecũ strenuè certamen ineant. Interea tamen excipi velim excludiue, vnũ à me in tractatu de matrimonio conscriptũ articulũ: quo (prius quã hoc ipsum Ecclesia sancta decerneret) adseuerabã ab Ecclesia clandestinum matrimoniũ minimè deleri declarariue penitus irritum posse: quod cum eadẽ Ecclesia sancta sustulerit è medio, & irritum esse posthac futurum sanciuerit, agnoscere me fateor ingenuè meam imbecillitatem, ac publicè testor, eidem Ecclesiæ sacrosanctæ meipsum vltrò libentissimeq; ceruicẽ subdere: quando constet omnibus in Christum dominũ credentibus, eã hallucinari nõ posse, quod vel ad vnũ omnes pij perpetuò testati sunt, & pro hac ipsa veritate mortẽ oppetere nõ dubitarũt. Ex ijs porrò meis congressibus hoc pullulabit commodi mea quidẽ sententia, quòd tot insignium eruditorum calculo, pariter ac viua voce: quidquid inerit hisce quæsitis ambigui, quidquid arcani latebit interius: id totum mutua videlicet argumentorum collisione (sic fari liceat) ad viuum excutietur. Magnifacit Tullius (idq; iure merito) suam

ſuã illã oratoriæ facultatis ideã: extollunt allj phalerata poæmata: Admirãtur omnia ſæcula neruoſum Ariſtotelis ſcribẽdi genus unà cũ Platonis copia. quid ſi diſputantes corã eoſdem audire licuiſſet? quid ſi legislatores prius quã de iure reſpõderent, inter ſe mutuò certãtes argumẽtis, audiẽdi ſemel data fuiſſet opportunitas? Nihil meo iudicio cùm difficilius tùm admirabilius, ſimul ac vtilius effingere liceat, vna vocali diſputatione: modò ſemotis tãtiſper diſsidijs, Ariſtotelica methodo cominus res geratur. Vt fateamur cõcentus peritorum muſicos, mirificè noſtras aures demulcere: ita nullam offendi modulationem, quæ cum eruditorum longo vſu, ſcilicet exercitatorum de rebus altiſsimis pacifice, modeſtè, ſimul & acriter inter ſe certatim dimicãtium: nullam offendi modulationẽ inquã, quæ cum ea cõferri poſſit, quæ mẽtis aures perinde mulceat, quæue magis integrum animum hauriat & abſorbeat intrepidè ſimul & conſtanter adſeueramus. Hac methodo Logicæ præceptiones inuentæ ſunt; hoc exercitio naturalis, diuina, pariter ac moralis Philoſo

phia

phia tandem velut è profundis errorum tenebris emersit. hac vna via leges ciuiles sancitæ sunt: hoc vno deniq; cōflictu sancta mater Ecclesia & leges canonicas condidit, & hæreticos ab ouili tanquam lupos arcet, atq; procul eliminat.

ANDREAE CAMVTII Theoricam ordinariam in Gymnasio Ticinensi publicè profitẽtis, De Humano Intellectu Liber Primus.

DE ORDINE SERVANDO. CAPVT PIMVM.



VI de ea parte animæ disseruerunt, qua intelligimus ac sapimus, eorum imprimis rationes euertere demoliriue tentarunt, quos hallucinatos fuisse, sunt arbitrati: mox deinde uelut euulsis prius, quæ negotiũ facessere uidebantur, sentibus: rem ipsam quibus maximè potuerunt ingenij neruis adgressi sunt, quod Aristotelem precipuè stagiritam, Philosophorum facilè principem obseruasse, præsertim in tota penè scientia naturali, uel apud omneis in confesso est, adeô notius est, quàm ut à quopiam dissimulari queat. Ego uerò ut in abditis inueniendis hanc methodum, scilicet à classicis authoribus inuectam refellere non ausim, ita mihi magis operæpre-

cium uidetur, saltem in abstrusis postquam inuenta sunt, reserandis: ut quod planè uerum esse iudico, idipsum demonstratiuis ratiocinijs pro uirili mea confirmem, scilicet ut hoc demum ueluti propugnaculo, cùm tutius errata cæcutientium, in alta ueritatis caligine, tùm commodius infirmare ualeam. Nanq; ueritas ut primùm è cœno, id est, ex altissimis ignorantiæ tenebris educta semel emerserit, emicueritúe, sophistas instar luminis, uelut impostores atq; fures in angulis latitantes, & detegit, & eorum tanquam hostium tela retundit. quò fit, dum eorundem obiecta constãter simul ac euidenter, ueritatis intelligentia suppetias ferente diluit, ut mentis unâ quoq; tenebras discutiat, easq; ueluti compedes amoueat, & exentiat. Ergo rem ipsam adgredior Christo domino fautore, quando nihil tam arduum sit atq; reconditum, quod eius nutu reserari non possit. huius numen supplex imploro, ut ex animo meo duplicem in qua natus sum, amoueat priuationem, hoc est, peccatum & ignorantiam.

DEMONSTRANDI CERTITVDINEM scientijs nullam adferre dignitatem seu nobilitatem. Cap. II.

QVI de anima librũ hactenus explicare tentarunt, oẽs (ni fallor) ad unum aiunt, facultatis seu potẽtiæ cuiusuis dignitatẽ, cùm à cer-

titudine

titudine demõſtrandi,tùm precipuè à ſubiecti nobilitate petendã eſſe : atq; hac ratione inculcãt, Ariſtotelẽ primo contextu ſcribentẽ : Bonorũ honorabiliũ, & quæ ſequuntur,adſtruere prorſus de anima ſcientiã, utrouis modo dignitate cæteras omneis antecellere ſcientias, (ſi Methaphyſicã unã excipias) nempe quòd ſubiectũ præ cæteris nobile ſortiatur, uidelicet animã, præterea quòd eiſdem longè certior ſit. Ego uerò crediderim oẽs.fuiſſe pariter ad unum hallucinatos Ariſtotelis interpretes, quòd me oſtenſurum me diusfidius cõfido,ſcilicet hinc ſũpto initio Si certitudo dgnitẽ facultatibus adderet uel augeret,artemeschanicæ (ſi quis ſolã rationẽ certitudinis attendat) ſciẽtijs digniores forent, quandoquidẽ ut plurimùm lõgè certiores ſint. At inquies forſitan, nõ de certitudine quauis Philoſophũ intelligere, uerùm de certitudine tantùm per demonſtrationẽ acquiſita: quæ quidem demõſtratio ſolùm eſſe conſueuit quæſitorũ naturaliter ignotorũ:cũ artes interim mechanicæ,circa quæſita quidẽ ignota uerſentur (alioquin haud docerentur) ſed tamen nequaquã ignota naturaliter: adeô in hiſce condiſcẽdis,uſu potius longo dıſcũt diſcipuli, pariter ac artifices docẽt, uidelicet eos ſæpius experiri cogẽtes,quæ frequentèr ipſi faciunt.qnòd ſi demonſtrant,id agũt profectò demõſtratione ſenſibili,nõ autẽ ſillogiſtica:cuius peculiare propriũq; eſt (ſi uera libro Poſteriorũ analyticorũ tradit Auerroes in cõmento magno) quæſiturũ naturaliter ignotorum,

(quod supradictum est) cognitionẽ elargiri. uerùm longius absunt à ueritate, qui sic respondent, quàm ut ab eruditis amplecti probariq; debeat eorum sententia, quando constet, uerè proprieq; medicinam artem esse, uel ipso Galeno teste, cùm pluribus in locis, tùm precipuè in eius libri initio, ubi ex professo id docet, qui de constitutione artis inscribitur: quando constet inquam, & medicinam artem esse, quanuis liberalẽ atq; multis scientijs digniorẽ, & frequentius demõstrare, quàm scientia naturalis: idq; non solùm per effectus proprios, uerumetiã demõstratione propter quid: ad cuius rei euidẽtiam operæpreciũ uidetur in medium adducere, quæ Galenus libro. 1. de ratione uictus in acutis morbis, cõmento 13. scriptis
, prodidit inquiens: Nam de Philosophorum contro-
, uersia, nullã habemus, quæ euidens sit, coniecturam.
, neq; enim si genitus mundus sit, neq; si interitus con
, scius, neq; si extra ipsum inane non sit, neq; si infini
, tus, neq; si is solus unus sit, neq; si plures, neq; quot
, numero: si plures, neq; horum multitudo incompræ
, hensibilis sit, an infinita, manifestò coniectari potest.
, Ad hunc sanè modum & de alijs multis, quæ in Phi
, losophia quæruntur: nonnullis quidẽ iudicare pror-
, sus nequimus, alia uerò non sine magna contempla-
, tione. uerùm de ipsis, quæ ægros iuuant, non simili-
, ter est. Nempe etsi ad ipsa inuenienda lõgo opus sit
, tempore, uiroq; à multis discrepante, quæ tamen se
, se reperisse quidam iactant, ea facilem habere indica

tionem

, tionem uidebuntur (mox ſubdit) Nempe ſi ægris , quidem adhibita præſidium attulerint , laudare o-, portet,atq; agnoſcere : ſi uerò detrimento fuerint, , uitare atq; repellere : Quæ uerò nihil auxilij uel of-, fenſæ effatu dignum præſtiterint ,in neutrius horũ , ratione cenſere cõuenit. hæc ad uerbum ille. Atqui fortaſſis obijcies, ex hiſce Galeni uerbis colligi, demõſtrationis ſenſibilis eundem,quæ ab uſu peti ſolet, meminiſſe,non autem ſyllogiſticæ, quando dicat : ſi præſidium attulerint ,ſi detrimento fuerint,& reliqua. Verùm hîc ut iſthæc uſu inuenta fateamur & experientia,quemadmodum omnes omnium penè artium primæ propoſitiones ſiue prima principia : ita profectò non ambigimus,artium theoremata naturaliter nobis incognita, cùm demõſtratione ſigni,quæ ab effectu ſummens exordium,ad cauſam inueniendam pergit : tùm per demõſtrationem cauſæ nobis innoteſcere. hinc Galenus libro.2. de ratione uictus in acutis morbis, cõmento 19. prorſus adſeuerat,hanc eſſe demõſtrationem propter quid pariter ac medicam,quam ibidem ex Hippocratis textu elicit hunc , in modum : Validiores minus afficiunt, imbecillio-, res magis detrimenta : ſanos repentina mutatio ui-, ctus offendit,ergo languẽtes a repentina uictus mu-, tatione læduntur magis, ac multò magis, qui morbis , acutis corripiuntur. quinetiam Hippocrates medica demõſtratione per effectum à poſteriori, probat eſſe plura elementa (Galeno libro. 1 .de elementis relato

re) inquiens: Si homo non deleret, utiq; ex unico constaret elemẽto: atqui dolet, ex pluribus ergo constituitur elementis. innumeras profectò demõstrationes in arte medica reperias, sed tamẽ ad eius, de quo dicebamus, fidem faciendã, hasce duas intelligentiæ gratia clarioris, in medium protulisse sufficiat. Item quãquam artium illiberaliũ, quæ uulgò mechanicæ nuncupantur, nonnullæ fortassis haud syllogisticè demonstrãt, quòd eorum quæsita perpauca, sint prorsus incognita naturaliter, tamen certissimæ sunt, nec interea refert, an ab usu uel à syllogismis, eam potius certitudinẽ nanciscantur, cũ eas alioquin esse certissimas, abundè nobis sufficiat. ergo sequitur, omniũ mechanicarũ uilissimas, quòd cæteras & artes & scientias certitudine uincãt, hac una saltem ratione certitudinis, eisdẽ esse digniores: quo modo Mathematicæ quãquam subiectũ ignobile sortiuntur, nihilosecius ratione certitudinis, dignæ censentur ac nobiles quemadmodũ Aristotelis interpretes passim testãtur. Verũ enimuerò longè aliter iudicãdum existimo, siquidem ea, quæ de mechanicis retulimus, haud leuia sunt incõuenientia, quæ (ni fallor) cõmunis Aristotelis interpretũ schola nequaquã eludere queat, quod manifestissimũ falsitatis & inditium & argumentũ est. quã ob rem cùm difficultate, tùm uehemẽti exactaq; mentis indagine (qua perficitur intellectus) scientias & artes reddi nobiliores existimarim: certitudine uerò (modò, non accedat difficultas) easdẽ ignobi

les

les existimari, etiã si nobile subiectũ eædẽ sortitæ sint. sanè primùm id probare liceat ex cõmuni penè omniũ sentẽtia, scilicet existimantiũ peritias, eô digniores censeri, quò difficiliores fuerint. si ius ciuile cunctis ob uium foret: si logica, si naturaliũ diuinarumúe rerum contemplatio facilè pateret omnibus, non modô non esset in pretio. uerumetiam nihili penderentur. si medicina paruo negotio cõdisceretur, mehercle nullius existimaretur esse momenti. proinde Plato diffici lia iuxta uulgatũ adagiũ pulchra esse, uarijs in locis adseuerat: adeô effectũ unâ cum propria causa mediusfidius expræssisse uidetur, ꝑinde ac si paulò fusius ob idúe clarius hunc in modum enuntiasset: Pulchra eatenus pulchra sunt & indicantur, quatenus diffici lia quasi pulchritudinis, hoc est, dignitatis peritiæ cuiusuis altera causa sit, non certitudo (quod Ari stotelis expositores perperam cõminiscuntur) sed ipsa post subiecti nobilitatem, rei qua de agitur, difficultas: igitur peritiæ quantò difficiliores, tantò pulchriores atq; digniores iudicari conuenit. proinde architectura non alia ratione magni æstimatur, dignaúe censetur, quàm quòd difficilis sit, quod indiscriminatim in quibusq; rebus intueri licet. Huic Paradoxo subscribere uidetur Aristoteles (idùe Themistio in sua, quam in Physicas auscultationes edidit paraphrasi, relatore) quando dicat Alexandrum in epistola quadam, de Aristotele præceptore conquestum, quôd mysteria de

corporũ naturaliũ principijs euulgaſſet: cui philoſophũ reſpõdiſſe ferũt, eos libros, æditos eſſe ſimul ac nõ æditos, quòd nemo penitus intelligẽdis ijs naturæ arcanis ſupeſſe poſſet, ni præſens ab eo corã illud ipsũ audiſſet. quidnam aliud obſecro, ſibi uolunt iſthæc enunciata, præterquàm quòd ſcientiarum ſubiecta quanlibet honorabilia, tamen pulchriorem eorum intelligentiam euadere, ſi non niſi magna cum difficultate nobis innoteſcant? idem planè colligi poteſt ex Euangelio, ſiquidem ſeruator noſter parabolis frequenter alloquebatur homines. adhæc obſcurorum locorum penitior interpretatio ueteris teſtamẽti minimè literarum monumentis mondabatur, ſed paucis oretemus, quaſi per manus tradita cõmunicabatur.

EXPLICATVR PRIMVS LIBRI Primi de anima textus. Cap. III.

IDEM hoc loco Philoſophum uoluiſſe, pro uiribus, idq; luce meridiana clarius oſtendã. Eius textus uulgata trãſlatio ſic habet: nempe ſcientiã unam, alteri præſtare, ſubiecti nobilitate uel certitudine. græcus codex habet Α'ΚΡΙ'ΒΕΙΑ, quod uerbũ haud rectè ſatis uertitur certitudo, ſed id planè ſonat Α'ΚΡΙ'ΒΕΙΑ, quod exacta, uehemens ſeu diligẽs, hoc eſt difficilis inquiſitio, ut ſit ſenſus: Artium uel ſcientiarum honorabilium alia aliam excel-

lit,

lit, aut nobilitate subiecti uel exacta mentis indagine, siue rei qua de agitur difficultate. cur porrò difficultas rei dignitatis argumentum sit, ratio esse potest, quia quo magis humana mens exercetur, eô plenius perficitur, ac superioribus intelligentijs (quæ quum à materia multô longius absint, & actui omnium simplicissimo proximiores, felicissimo fruũtur æuo) similior euadit: adhæc humanus intellectus difficilia dum percipit atq; uolutat, ad cætera iudicanda longè redditur aptior hoc labore: quinetiam hac indagine subtili diuellitur à materia sensim atq; pedetentim, instar auri micantis in igne. ut.n.ignis, fecem atq; rubiginem abradit omnem ac secludit ab auro, uidelicet quoduis recrementũ eliminans et expurgans: ita nimirum exacta difficilisúe reconditarùm rerum peruestigatio, ab anima rationali modo quodam materiæ fæcem abstergit: cui licet minimè sit adnexa, arctissimo scilicet illo uinculo, quo species corruptibilis eidem colligari consueuit: idq; naturæ propriæ legibus (quod uel infra Christo domino fautore probabimus) substãtiæ nihilosecius similitudine ueluti pondus iners graueq; præcipitanter in corpora ruit: ac dum eorum adfectus sensus'ue deperit, uelut amore captus, ex amante tandem amens euadit, & materiæ tenebris inquinatur. inde fit, ut quò magis in eiusdem cuniculis anfractibus'ue quãtitatum, secors & suæ pulchritudinis parum memor latitat, inscitiæ latebris obscuretur: quandoquidem sic agendo

do, fati sortisúe futuræ nescius, ad nihilum tendit, at cum planè nihil effici nequeat, quòd id naturæ suæ perfectio minimè patiatur, atq; permittat: longè miserius torquetur tandem, quàm si in inane, hoc est, in nihilum prorsus impegisset. Itaq, quum eãdem oppositorum disciplinam esse constet, et æquè palàm sit, intellectum humanũ cùm otio, tùm præcipuè uilium atq; malarum rerum consideratione, malum paulatim aut rudem effici: præsertim cum interea nil sublime meditetur, nil scrutetur difficile, sed facilibus crassisúe cõtentus ratiocinijs, dũe putat in quiete uelut in umbra suaui delitescere, sordescit interim, ac instar primi subiecti (quod materia prima uocitatur) tanquam informis & inanis apparet: idúe sensuum opera, quibus plus iusto nimirum addictus, amens obsequitur. sanè si (quod suppositum est) eadem oppositorum disciplina esse debeat (ut certè debet) si facilibus, sordidis, ac per consequens uilibus atq; crassis conceptibus uilescit intellectus, profectò si per contrarium multo labore seipsum in difficilibus exercuerit, à materiæ conditionibus, eiusúe tenebris inquinatum iri minus, naturalis ipsa ratio dictat. Ergo constare satis superq; iam arbitror, certitudinem nihil honoris dignitatisúe cùm artibus tùm scientiis adferre, quin potius ipsam rerum difficultatem, cuius ope mens acuitur atq; perficitur, peritias honorabiles efficere dicẽdum est. proinde manifestum euadit, scientiã de anima cæteras, non quidem scientias

omnes,

omnes simpliciter, quinimmò scientiæ naturalis parteis omneis antecellere: idq; non solùm quòd ea specierum naturaliũ perfectissima sit, uerumetiã quòd difficilis admodũ nobis (quãuis naturæ facilis ac certissima) simul et absturfa sit eius cognitio adeò, ut uel ab exercitatissimis uel nũquàm examinissim, aut certè uix appræhẽdi queat. Cæterũ id omnino uerũ esse quòd probasse cõfidimus, uel illud euidẽter ostendit: quòd hoc nostro (ut sic dixerim) paradoxo facilè tollatur è medio, quicquid in contrariũ obijcitur, quod alioquin Arist. interpretes eludere deuitareq; non possunt, Nundũ certò constet, an philosophus incorruptibilẽ esse nostrũ intellectũ putarit (quod interpretũ adhuc nostra tẽpestate pugnantiũ dissidentiumúe cõtrariæ sententiæ declarãt) nec prætermisso tãtisper Arist. ad hanc usq; diẽ inter, expositores conuenit, quid tandẽ de re ipsa sentiendũ sit (quo sanè argumẽto usus sum quãdoq; publicis in cõgressibus) sequitur ergo philosophũ perperam enũtiasse (si cõmunẽ expositionẽ insequamur) de anima scientiã demonstrãdi certitudine cæteris anteire, præterea de altricis sensualisq; potentiæ facultatibus tot, tamq; grandia sunt quæsita, ut qui seipsum possit, explicare, uix offendatur. planè diceres aliquotiẽs ijs ĩ negotijs crisippeũ aut Gordianũ alicubi nodũ pullulasse, exẽpli gratia: num intus suscipiẽdo speciẽ coloris uisio persiciatur (quod Arist placuit) aut potius foras emittẽdo spiritus uel qualitatẽ: qđ Platoni plurimũ arridet, quem

Mag. Gal.

pro uirili sua manibus ac pedibus (quod dici solet) tuetur: tam diffidilis est isthæc quæstio, ut adhuc mea quidem sententia sub iudice lis esse uideatur, cum utrinq; uerisimiles probatiões urgeãt, adeô distrahit ac torquet homines, uel perspicaci præditos ingenio, quam ob rem quî uelit Aristoteles scientiam de anima cæteras excellere scientiæ naturalis parteis, aut alias peritias (si modum, quem adduximus in medium, semel excluseris) haud uideo: neq; tamen interea subticere, sicco'ue (quod aiunt) pede pertransire possum futilem quorundam commentationem: quippe qui de anima scientiam, anteire cæteris adstruunt certitudine: non quidem demonstrandi, sed quoniã eius libri subiectum, quod est anima ipsa, certissimè sit in rerum natura: quasi non æquè pateat animantia, lapides, stirpes, pluuias, tonitrua, grandines, atq; alia id genus quamplura, scilicet in natura rerum offendi: neq; tamen obid quisquam sanæ mentis effutierit, eorum scientiam fore quibusdam alijs certiorem, quòd nimirum id cunctis scientijs commune sit, ut de subiecto uidelicet proprio, cuius scientia quæritur, quòd sit, hoc est, quòd in natura rerum offendatur, præcognoscatur, hæc aut similia mediusfidius primi libri posteriorum Analyticorum elementa penè fuerint, ac ueluti præludia quædam, adeô qui hoc ignorat, optimo iure censeatur indignus, qui Philosophiæ sacris initietur, quiq; ad audiẽdas semel Aristotelis Physicas auscultationes admittatur.

ACVTA QVORVNDAM PRIMI Libri de Anima textus infirmatur expositio. Cap. IIII.

QVIDAM acutius hoc loco mẽtem Aristotelis expiscantur, dicentes animæ contemplatiouem; in hisce tribus libris exaratam, cæteris scientijs anteire, non certitudine demonstrationis, multò minus quòd nobis eandem in natura rerum offendi certò constet: uerùm quòd cum æterna sit & incorruptibilis saltem anima rationalis, si non nobis. profectò naturæ dubio procul certissima deprehenditur. intelligentiæ siquidem à materia separatæ quanquam nobis parum notæ, tamen ipsi naturæ, quàm isthæc corruptibilia multò notiores esse, nemo peritus inficiatur. quocirca rationalis anima, cum eandem in genere legem subeat, quãdoquidem ipsa quoq; suapte natura & incorruptibilis sit & incorporea, ac per consequens nacta sit inuariabilem immutabilem ue substantiam, cum alioquin isthæc corruptibilia corpora mutationi perpetuò sint obnoxia adeô, ut nunquam eadem quodammodo dici queant: idcirco scientiam de anima utpote de re æterna, incorruptibili, atq; immutabili, cæteris meritò præstare scientijs omnibus, audacter pronunciãdum est (si Metaphysicam unam excluseris) certitudine: scilicet quòd esse suum in natura tantò certius sit, quãtò incorruptibilia naturæ, corruptibilibus

ipsis

ipsis certiora sunt. uerùm ut donemus hanc expositionẽ esse subtilem, pariter ac ingeniosam, ita planè non iuficiamur, eandẽ Aristotelis sensui conuenire non posse. Philosophus etenim quotiens absolutè dicit, aliquid esse certũ, de certitudine quo ad nos intelligit, non autẽ quo ad naturam: quando uerò differit de alia certitudine, nequaquã simpliciter enũtiat hoc uel illud esse certum, sed appendicẽ addit: nempe pronũcians illud esse certũ, nõ nobis, sed quo ad naturam, proinde primo Physicorum causas, quãuis plerũq; nobis incognitas, nihilosecius easdem naturæ notas adseuerauit. porrò libro. 2. Metaphysices, ubi simpliciter adserit eam facultatem esse difficilimam, immò ferè penitus incompræhensibilem et incertam, indubiè differit de certitudine quô ad nòs, non autem quò ad naturam, quod eiusdẽ exemplum ibidem adductum declarat: siquidem ait nostrum intellectum, ad æterna percipienda se habere, instar noctuæ solẽ aspicientis: quæ dum intuetur solem occæcatur, tantum abest, ut eundem exactè cernat. ad eundem modum intelligit primo posteriorũ, ubi ait absolutè, demõstrationũ præmissas esse necessariò conclusione notiores.

ALIAE RATIONES IN CONtrarium infirmantur. Cap. V.

AT inquies forsitan: demonstratio (Themistio relatore) haud quid nos possimus attendit, sed sola ueritatem scrutatur, et in eam intendit,

tendit. adeò Philosophus primo posteriorum inquiens, demoustrationẽ ex prioribus atq; notioribus conflari, priora simul ac notiora naturæ, non autem nobis intellexit: quando demonstrationem perfectã (de qua tunc ex professo disquirit) à causis ad effectus procedere, nemo penitus ambigat. quò sit, ut paulò post, demonstrationis præmissas adseuerans, conclusionibus esse notiores, nõ nobis, sed ipsi naturæ notiores easdem intellexerit. Atqui quum opus animæ sit demõstratio, nec uspiam extra substãtiam animæ possit offendi, frustra Themistius enuntiasse uideatur, demonstrationem spretis ingenij nostri uiribus, solam, in ipsam ueritatem unam uelut in scòpum collimare: ni fortassis eũ methaphoricè loquutũ adfirmes. Quapropter ut admittamus Aristotelem scilicet adseuerantem, ex notioribus atq; prioribus demonstrationem conflari, intellexisse naturæ priora atq; notiora: ita non ambigimus eundem uoluisse, præmissas easdem quanlibet naturæ notissimas, nobis quoq; notiores esse oportere conclusionibus ipsis: quia si causæ soli naturæ forent effectibus ipsis notiores, profectò neq; demonstratio texeretur, quando demonstrationis efficiens causa solus sit intellectus.

Proinde Philosophus adseuerans, oportere demonstrationis præmissas esse conclusione notiores, dubio procul quo ad nos intelligit, siquidem eas quo ad naturam notiores esse debere, prius docuit: nunc easdem insuper quo ad nos quoq; tales esse debere declã

rat:

rat : cuius quidem rei uel euidentissimum argumentum est, quòd easdem credibiliores esse debere docet præsertim hoc argumeuto, quòd qui credit conclusioni propter præmissas, multò magis eum præmissis credere conueniat, idue iuxta regulam topicam uidelicet : propter quod unumquodq; tale & illud magis. Quare (contra cõmunem interpretũ opinionẽ) quotiens adstruit Aristoteles composita nobis esse notiora, nequaquam intelligit eadem esse nobis magis nota, quàm naturæ : quandoquidem haud minus à natura dignoscantur eadem composita, quàm à nobis, quum ab ipsa fuerint condita ; sed comparat composita suis principijs : adeò composita notiora nobis esse simul ac priora, non quàm naturæ (quum aut indiscriminatim utriq; sint æquè nota, aut naturæ forsitan magis nota) sed intelligit composita nobis esse notiora suis principijs : causas uerò siue principia naturæ pariter notiora simul ac priora Philosophus intelligit : non quàm nobis (quando fieri possit ut aliquando causæ nobis æquè notæ sint ac naturæ, quãquàm rarissimè contingit) sed intelligit causas esse notiores atq; priores naturæ, scilicet quàm sint effectus atq; composita. Quam ob rem (ut ad diuerticulum aliquando redeamus) in summa uix reperias in omnibus Aristotelis operibus locum, ubi certitudinis mentionem faciens simpliciter & absq; appendice, non intelligat certitudinem respectu nostri, non autẽ respectu naturæ. rursus data ueritate

huius

huius expositionis, sequeretur. non totam scientiã de anima certitudine cæteris præstare scientijs, sed eam partem tantùm, quæ ad intellectum pertinet, de qua Philosophus in 3. de anima libro solùm ex professo disquirit. nanq; uegetalis atq; sensualis facultas cum uirtutes sint corporeæ pariter ac corruptibiles, & mutationi obnoxiæ, nequaquam esse stabile nanciscuntur: quò fit ut naturæ nihilo magis notæ sint, ac aliæ formæ corporũ corruptibilium, atqui Philosophus hoc loco, non 3. librũ de anima tantũmodò, sed uniuersa de anima sciẽtiam, quæ tribus hisce libris cõtinetur, cæteris præstare, sciẽtiæ naturalis partibus certitudine prorsus indicauit, quia de Mathematicis hoc haud erat dubiũ ratione nobilitatis subiecti: Ergo de certitudine quò ad nos intelligit, quãdo simpliciter enuntiet, hanc scientiã seclusa quauis adpẽdice, cæteris anteire certitudine: cum uerisimile sit, eum talem hîc certitudinem intelligere, qualem alijs in locis uoluit intelligi, præter quàm quãdo addit hanc adpendicem, quò ad naturam. Atqui rursus forsitan instabis, denominationem à nobiliori parte subiecti sumendã esse, atq; idcirco de anima scientiã certitudine (scilicet quò ad naturam) cæteris anteire, quãuis eiusdem animæ sola pars rationalis, naturæ sit certissima: uerùm Philosophus hoc loco non minus agit de brutorum anima (quàm rationis minimè participem esse constat) quàm de hominis anima: scilicet ut hic liber ei, qui de animalibus inscribitur, è

uestigio respondeat: quandoquidē in ijs libris non de solius hominis, sed de animantium omnium materia disquirat, hic uerò pariter de omnium animaliū anima disputet. Ergo brutorū animæ cognitionē quoq;, cæteris anteire scientijs certitudine Philosophus hic intelligit. si hominis anima subiectum huius libri foret, fortassiis in hanc ultrò sententiam descenderem, at quum de animalium omnium anima Philosophus hic disquirat, & eandem uoluit certitudine cæteris anteire, sequitur haud solam rationalem, sed omnium quoq; naturam animantium certitudine cæteras excellere scientias; licet anima rationalis adhuc optimo iure magis antecellat. Item si certitudo rerum æternarum quò ad naturam dignitatem scientijs adfert, cur in libris Metaphysices haud enūtiauit diuinam scientiam præstare cæteris certitudine? at Philosophus ijsdem in libris scriptū reliquit, scientiam eandem siue sapientiam, tractare de rebus altissimis iuxta ac difficilimis, quod dubio procul idem est, ac si ita dixisset: diuina sapientia cæteras scientias antecellit, cùm subiecti nobilitate, tùm exacta contemplatione, seu rerum difficultate, ac sic idem in Metaphysicis enuntiasse uidetur, quod primo textu primi libri de anima scriptum reliquit.

Obiectum

OBIECTVM CONTRA DETERMINATA tollitur e medio simul & explicantur aliquot textus libri primi Physicorum. Cap. VI.

PHILOSOPHVS in Prologo libri primi Physices auscultationis, adsignans discrimen inter notiora nobis, & naturæ, uocat nota naturæ, nota simpliciter: ut hac adpendice distinguãtur à notis nobis. Quare falsum omnino uideatur, quod paulò supra constanter adseruimus, nempe Philosophum, quotiens quidpiam absolutè simpliciterúe notum enuntiat, statim illud idem nobis notũ intelligere: quotiens uerò naturæ tantùm, non autem nobis notum est, ipsum minimè simpliciter, & absolutè notum efferre, sed cum hac adpendice uidelicet, notum naturæ: scilicet quoniam ipsa natura dum operatur, ab eo tanquàm notiori, hoc est, priori sumit exordiũ: quo modo causæ compositis notiores censentur, quòd ab ijs auspicetur natura. quò fit, ut simpliciter notum iure dici debeat, quod non nobis, sed ipsi potius naturæ notum est. Hîc explicanda sese offert æquiuocatio, ut confusionem euitemus, atq; falsitatis caliginem oculis nostris offusam dissipemus, atq; discutiamus. hæc dictio siue uocabulum: simpliciter, quandoq; refertur ad rem ipsam, de qua loquimur, iuxta quem sensum causæ dicuntur notæ simpliciter, quia simplicissimæ sunt, ac per consequẽs

simpliciter adpræhenduntur ab intellectu: siquidem ut se res habet ad esse, ita se habet ad cognitionem nostram: at genus causarum quodlibet, in sua natura & essentia simplicissimum est, ergo simpliciter quoq; debet agnosci: neq; enim fieri potest, ut ex multis partibus adgregatum quidpiā simpliciter agnoscatur, sicut nec rem simplicem utpotè partibus carentem, composito conceptu nequeas intelligere. nanq; conceptiones, quum sint rerum similitudines, sanè rebus ipsis respondeant oportet, alioquin haud forent earum similitudines. Quocirca si res ipsa simplex est, utiq; dum intelligitur, eiusdem rei simplicis conceptum, in animo simplicem esse conuenit, idúe si debeat eius rei conceptus esse, hoc est, eiusdem rei (quod idē est) similitudo: si uerò cōposita res fuerit, profectò dum intelligitur, eius similitudo siue conceptus, in animo pariter euadit composita: quotiēs etenim integram rei compositæ definitionem animo concipimus, ipsa rei totius similitudo (quæ cōceptus animi nuncupatur) composita est, quoniam id quoq; quod intelligitur, compositum est: partes uerò definitionis, rei compositæ simplices particulás indicantes, in animo simplices quoq; conceptiones, sensuum interuentu cùm exteriorum, tùm interiorum effingunt atq; delineant. Alio modo uocabulum hoc: simpliciter, usurpare consueuimus, nempè quotiens refertur, non ad rem ipsam, de qua loquimur, quin potius ad nostrum loquendi modum: ad hunc porrò sēsum

sum efferimus quidpiam simpliciter esse tale, quotiens illud ipsum simplici uocabulo designamus: ubi uerò simplici uoce nobis haud notum euadit, sed alterius cuiuspiam dictionis adpendix requiritur, ut res ipsa nobis innotescat, meherclè tùm illud tale simpliciter esse diffitemur: exempli gratia, uiuus homo, uel animal uiuum, homo simpliciter, pariter ac animal simpliciter adpellatur, non quia simplex quidpiã sit, quod ab anima, simplici conceptu adpræhendatur & agnoscatur: quomodo simpliciter notæ causæ dicuntur, sed quia quotiens efferimus hanc uocem, homo uel animal: scilicet absq; adiuncto, statim intelligitur homo uiuus uel animal uiuens, non autem saxeus, ligneus, aut pictus. alia porrò quoniam simplici hominis. uel animalis uoce non innotescunt, sed adpendicem exposcunt, si debeant intelligi; propterea negamus eadem esse talia simpliciter: puta statuam ligneam, aut lapideam imaginem, quanquam hominem sæpe refert ob excellens artificiũ, nemo tamen sanæ mentis hominẽ eã dixerit, alioquin à quopiam haud intelligetur: si uerò quispiam adpendicem addiderit inquiens: homo ligneus, homo lapideus, aut homo pictus, si pictũ fuerit; sanè tùm quiuis intelliget quid sibi uelit, qui loquitur. adeô secũdum hoc significatum, istud uocabulum: simpliciter, non ad rem ipsam, sed ad nostrum loquendi modum refertur: ita ut idem sonet aduerbium hoc: simpliciter, quod absolutè, ut absolutè loquendo uel sim-

 pliciter

pliciter loquendo (quod idem eſt) hoc eſt, abſq; ādpendice animal rationale paſsim homo dicitur, & hominis uocabulo quiuis animal rationale deſignari percipit: picturam uerò uel ſculpturam animali rationanti ſimilem, ſcilicet quò ad ſenſum uiſus: ſi abſolutè loquaris, ſiue ſimpliciter (quod idem eſſe diximus, ſi quis noſtrum loqnendi modum attendat) ac dicat illum eſſe hominem, haud intelligeris à quopiā, quod ſi hanc addideris appendicem: pictus, aut aliud ſimile id genus, ac ita efferas: hoc quod intueor, eſt homo pictus, aut ligneus, uel æneus: tùm intelligeris ab omnibus, & ritè loqueris. Quam ob rem Philoſophus inquiens, notiora naturæ ſunt nota ſimpliciter, haud intelligit, ut ſimpliciter abſoluteq; loquē do, quotiens audimus quidpiam eſſe notum aut notius, quòd intelligere conueniat, illud idem eſſe notius naturæ non nobis; quando conſtet oppoſitum ex pluribus Philoſophi locis: ſed intelligit notiora naturæ eſſe ſimpliciter nota, quoniam dum intelliguntur à nobis, adpræhenduntur ſimpliciter, id eſt, conceptu ſimplici, quod ipſa quoq; ſimplicia ſint, & quic quid animo concipitur, eo modo concipi debet, quo ſe habet in natura; ſiquidē rei cuiuslibet intelligentia nil aliud eſt, quàm eiuſdem ſimilitudo, ſenſuum interuentu, continua quadam ſerie ad animam uſq; rationalem delata. Vnde Philoſophus haud ſcriptū reliquit, notiora naturæ dici adpellariq; nota ſimpliciter, quandoquidem ita loquendo protinus indi-

easset se, aduerbium simpliciter, ad nostrum loquendi modum retulisse; sed hoc pacto loquitur: naturæ notiora sunt nota simpliciter, hoc est, sunt ea, quæ dum cognoscuntur, à nobis, adpræhenduntur conceptu simplici, quò sic innueret se, aduerbium: simpliciter, haud ad nostrum intelligendi modum referre, quin potius ad rem ipsam: quippe quæ simpliciter animo concipi debet, ac intelligi, quum ea quoq; simplex sit: qualia scilicet esse conuenit omnia naturæ notiora: plurimum etenim discriminis intercidit inter hoc enuntiatum: nempe naturæ notiora sunt nota simpliciter, & illud uidelicet: naturæ notiora dicuntur uel adpellantur nota simpliciter, hoc est, absolutè & absq; adpendice: quando primũ sit uerissimũ (quòd supra monstrauimus) secundum uerò falsum. porrò Philosophum hoc uoluisse, sequentis textus uerba palàm ostendunt, ubi ait: sunt autem nobis nota confusa magis, hoc est, magis composita. Nanq; quum declarasset, quæ sint nota naturæ, ac dixisset ea esse, quæ simpliciter nota sunt, siue quæ simplici compræhenduntur intelligentia, id est, quæ simplicia sunt: subinde declarat, quæ nobis notiora sint, inquiens: sunt autem nota nobis ipsa composita, perinde ac si ita dixisset; notiora naturæ sunt ea, quæ dum intelliguntur à nobis, adpræhenduntur simpliciter, hoc est, conceptu simplici, & per consequens, notiora naturæ sunt particulæ corporum naturalium simplices, & quò simpliciores fuerint, eò notiores eidem natu-

ræ euadent: nobis uerò notiora sunt, quæ non adpræhenduntur à nobis simpliciter, id est, conceptu simplici, quin potius cõceptu composito, quòd eadem quoq; composita sint, & ob multiplicem partium mistionẽ, confusam pariant intelligentiam, atq; sui similitudinem in animo, quod nimirum in causa est, ut ab Aristotele confusa magis adpellentur. cur porrò simplicia rerum naturalium plerunq; nobis ignota sint, naturæ uerò nota, ratio esse potest, quòd res naturales, non à nobis, sed à natura fiunt, & efficiens quodlibet à sibi notioribus auspicatur: unde natura quãquã haud est cognitionis ac intelligentiæ particeps, nihilominus suopte (ut ita dixerimus) ingenio sic propensa est, ut à simplicissimis auspicetur, perinde ac si magis eadem agnosceret: nos porrò naturaliũ operum ignari penitus, haud agnoscimus simplicissima, quoniam nostra cognitio pendet à sensibus, qui simplicia penitus introspicere nequeunt: sed composita potius, utpotè sibi ipsis obuia dumtàxat occursu primo cognoscunt. Cæterùm in artificialibus longè aliter res habet, quando constet artificis intellectũ, in ijs simplicia prius adpræhendere, & ab ijsdem exordiri, quotiens facere quidpiam artifex adgreditur: scilicet quia sicut naturalia fabricantur à natura, ita nimirum ab intellectu fiunt artificialia, quandoquidem quisquis componere quidpiam tentat, huic notissimas esse prius compositi parteis oportet: ad hæc noster intellectus si naturale corpus constituere sata-

re sata-

re satageret (sicut artificialia sæpe constituit) necessariò naturalis eiusdem corporis simplicissimas parteis eidem notiores esse oporteret, quod quidem ædificatoris exemplo manifestum euadit. quòd si dicas, ab artificis intellectu finem prius adprehendi, & per consequens ab eodem cognosci prius artificiale compositum, quàm eiusdem artificialis compositi parteis: respondebo naturã quoq; iuxta sensum, eundẽ cognoscere compositum naturale prius, quàm parteis eiusdem simplices, quando simplicissimas easdem particulas unâ misceat primùm, ad hunc unum finem: scilicet ut naturale compositum tandem perficiat, siquidem quidquid agit natura, non temerè, non fortuitò, sed propter finem operatur. Verumenimuerò sicut artifex finem confusè prius intelligit, simplicissimas uerò particulas, à quibus per resolutionem inuentis exorditur operando, scilicet ut finem prius animo conceptum adsequatur: sicut inquam artifex finem confusè prius animo conceptum intelligit, dein simplissimas particulas distinctè cognoscit prius, quàm opus adgrediatur: ita natura si cognosceret (operatur autẽ perinde ac si cognosceret) primò naturale cõpositum confusè contẽplaretur tanquã finẽ, à quo per resolutionẽ inuento, ad simplicissimas usq; naturalis eiusdẽ corporis particulas descẽderet; à quibus demũ scilicet distinctè cognitis, operando sumeret initiũ, ut finẽ animo prius conceptũ, nẽpe compositũ naturale tandẽ absolueret.

Idem

IDEM EX PHILOSOPHI VERbis conuincitur. Cap. VII.

PORRO' dictionem: simpliciter, eo modo accipi, quo declarauimus, uel ex Aristotele sexto Topicorum capite tertio colligi, potest, ubi ait: manifestum igitur quoniam non, definiuit, qui non per priora atq; notiora definiuit. Igitur per non notiora quidem terminum, dici dupliciter est accipere: aut enim si simpliciter ex ignotioribus, aut si nobis ignotioribus, contingit enim utroq; modo. simpliciter igitur notius, quod prius est posteriore: ut punctum, linea, & linea superfitie, & superfities solido, quemadmodum, & unitas numero. prius enim & principium omnis numeri, similiter autem & elementum syllaba. Nobis autem è conuerso quandoq; accidit, nam maximè solidum magis sub sensu cadit, quàm superficies: superficies autem magis, quàm linea: linea autem signo magis: quare multitudo magis huiusmodi cognoscit, nam illa quidem quomodolibet, hoc autem subtili & fæcundo intellectu compræbendere oportet, simpliciter igitur per priora, melius est posteriora tentare cognoscere: nam magis scientificum tale est, uerùm ad eos qui impotentes sunt cognoscere per talia, necessarium fortè per ea, quæ illis cognita sunt, facere orationem: sunt autem talium definitiones

, *nitiones, quæ & puncti, & lineæ, & superficiei*
, *omnes enim per posteriora, priora indicāt: nam*
, *illud quidem lineæ, istam autem superficiei, hanc*
, *uerò solidi fines dicunt esse: non oportet autē la*
, *tēre, quoniā sic definientes nō contingit quòd quid*
, *est esse, definitione indicare, nisi contingat, idē no*
, *bis notius esse & simpliciter notius: siquidē opor*
, *tet per genus et differentias definire eum, qui be*
, *nè definit, hæc autē simpliciter notiora & priora*
, *sunt specie, interimit enim genus & differentia*
, *speciem: quare priora hæc, specie sunt notiora:*
, *nam specie quidem nota, necesse est genus, & dif-*
, *ferentias agnosci: qui hominem enim cognoscit,*
, *& animal gressibile cognoscit: at genere & dif-*
, *ferentia notis, non necesse est & speciem cogno-*
, *sci, quare ignotior species, hæc Aristoteles ad uer*
, *bum: ex quibus patēre arbitror, naturæ notio-*
ra ac priora, simpliciter priora notioraq́, dici,
quoniam simpliciora sunt, & simpliciter quoq; co
gnoscuntur: prætera magis composita esse notio
tiora quomodolibet, hoc est, cognitione confusa:
causas uerò siue principia, nobis esse notiores co-
gnitione distincta. Quapropter ait priora & no
tiora naturæ, id est, causas haud à multitudine,
hoc est, à uulgo cognosci, quoniam plebs imperi-
ta cognitionis exactæ non est capax: propterea
dixit: naturæ notiora, id est, causas, subtili tan-
tùm, atq; fœcundo intellectu nobis innotescere,

quibus

quibus uerbis apertè docet, et causas à nobis prius agnosci distinctè, quàm composita dignoscantur, scilicet distinctè: ad hæc easdem a peritis, ac solertibus, perspicaciq; præditis ingenio tantùm adpræhendi.

INSIGNE AVERROIS ERRATUM detegitur. Cap. VIII.

EX declaratis patet insignis error Auerrois, qui textũ hunc Aristotelis adductum exponens inquit, hanc ennuntiacionem, nempe non eadem esse notiora nobis, & naturæ: ait, inquam, hoc esse uerũm in rebus naturalibus atq; diuinis, non autem, in Mathematicis, in quibus eadem sunt notiora nobis, & naturæ: siquidẽ in ea scientia, causæ nobis quoq; notiores sunt suis compositis: propterea Mathematici sæpenumerò demonstratione propter quid utuntur. Verumenimuerò falsum esse, quòd Auerroes hîc adstruit, textus qui paulò post sequitur, ostendit, ubi Philosophus inquit: Vnde ab uniuersalibus ad singularia oportet procedere (sequitur) totũ enim secundum sensum notius est, uniuersale autem totnm quoddam est: multa enim compræhendit ut parteis uniuersale (subdit) sic etiam & nomina quodammodo sese habent ad definitionem, totũ enim quoddam indistinctumq; significat, ceu circulus.

culus. At ipſius definitio in parteis ſingulas (quod eius propriũ eſt) diuidit, hæc ille. quocirca liquidò adparet, haud in naturali ſcientia duntàxat atq; Methaphyſica, uerumetiam in Mathematicis, compoſita ſicut circulus, quæ confuſa magis adpellãtur, eſſe nobis notiora partibus ſuis ſimplicibus & cauſis. At inquies: quî demonſtrant igitur Mathematici demonſtratione propter quid? nonne media demonſtrationum, & earundem a ſſumptiones ſiue præmiſſas, concluſionibus eſſe notiores oportet? ſi cõpoſita nobis notiora ſunt, quî (obſecro) per cauſas utpote nobis minus notas demõſtrabũtur? ſanè hoc mea quidẽ ſententia impoſuit Auerroi, quãlibet maximis ingenij uiribus prædito. nanq; diſcrimen ſuperius adductum ſoluit nodum, quem plures (quod in adagio eſt) in ſcirpo quærunt, quando conſtet ex ſupra citatis Philoſophi uerbis ſexti Ethicorum, cognita quidem prius eſſe nobis compoſita. ac per conſequens magis uniuerſalia (quum ſint quodãmodo tota) quàm ſingularia, hoc eſt, ſpecies (quas ſub ſe uelut parteis cõpræbendunt) ſed tamen confuſè: cauſas uerò (quæ nobis quoq; ſæpenumerò notæ ſunt, in Mathematicis præcipuè) nobis eſſe quàm cõpoſita, prius notas, diſtinctè ſcilicet, & (quod ſupra dictum eſt) perſpicaci præditis ingenio. propterea dixit Themiſtius demonſtrationẽ haud attendere quid nos poſſimus, ſed unam per ſe ſcrutari ueritatem & quæ ſequuntur.

RATIONALIS ANIMAE CONtemplatiorem neq; Methaphysicam neq; mediam sed merè naturalem esse. Cap. VIIII.

VERBA facturus de rationali potentia, primò disquirendum uidetur, num ea contemplatio naturalis sit aut Methaphysica, uel potius inter utranq; media: scilicet ut qua methodo procedendum sit, quibusúe medijs, uti conueniat, præcognoscamus. Quum instrumento duplici quæsitorum de subiecto quouis seu propriarum adfettionum scientiam nobis cōparemus: nempe demonstratione causæ, quæ propter quid passim adpellatur, ac demonstratione signi, quæ demonstratio quia nuncupatur; sanè prioris, in scientia naturali rarissimus est usus, in arte medica rarus, in Mathematicis autem frequens: adeô non iniuria Philosophus in Physicis, rerum naturalium causas (multò magis diuinarum) soli naturæ, uidelicet utplurimùm, esse notas, plerunq; uerò nobis ignotas, indicauit. Si nobis humanam mentem incorpoream & à corruptione pariter immunē esse constaret. dubio procul huiusmodi contemplationem in libros Methaphysicos reijceremus, at quum id in controuersiam cadat apud Philosophos, nec ad idem quærendum aliam nobis natura uiam atq; methodum suppeditet, quàm eiusdem humanæ mentis operationes: præsertim quòd eam, si

non

non interire, saltem ad tempus in corpore peregrinari manifestò pàteat, liquidò adparet eiusmodi contẽplationẽ esse naturalem. Nanq; sicut enuntiaciones denominationem à prædicatis sumunt, ita Syllogistica nimirum orationes à medijs, exempli gratia: homo est animal. isthæc enuntiacio non alia ratione censetur naturalis, quàm quòd prædicatum eius est naturale. si ita efferas: homo est species, utiq; logicam effeceris propositionem, quia prædicatum est logicum, quanuis eiusdem propositionis subiectum sit naturale; quemadmodum si dixeris: homo est nomen substantiuum, grammaticam protuleris enuntiacionẽ. si uerò sic loquaris: homo est ens, quia prædicatum est Methaphysicum, ob id quoq; Methaphysica iudicatur enunciatio. ut enim in naturalibus à nobiliori parte compositi nomen desumitur, scilicet quòd totius corporis actus sit atq; ꝑfectio, seu (quod Græci dicunt) Endelechia: ita prædicatum in enuntiacione speciei uices gerit, & ob id iure nomen ab eo sumi debere, rationi consentaneũ est. porrò quòd enuntiacioni prædicatum, & naturali composito forma siue species elargitur, idem examussim demonstrationi, præterea cuilibet alij Syllogismo medius terminus impertitur: quandoquidem aut adfectionis re uera, quæ de subiecto probanda est, causa sit, aut saltem causæ uices gerat: si quidem quòd neruosus Auerroes adseuerat medius terminus rei causa quanuis minimè sit aliquando, nihilhominus in

Syllogis-

Syllogismo semper illationis salię est causa : idq; non efficiēs extrinsecum, aut finis, uel materia, quin potius Syllogismi totius species est a c forma, quando totam illi perfectionem indat, & per consequens Syllogismum ab eadem denominari iustum sit. Proinde qualis Syllogismi medius terminus fuerit, talem quoq; Syllogismum fore, res ipsa loquitur : nempe si medius terminus est naturalis, ipsa quoq; demonstratio uel Syllogismus erit naturalis, itidem si Methaphysicus sit aut Mathematicus, uel moralis : cuiusmodi is fuerit, illius scientiæ dicetur esse demonstratio uel Syllogismus. Quocirca cum omnes demonstrationes seu Syllogismi, quibus in substantia rationalis animæ scrutanda Philosophus utitur, medium terminum sortiantur naturalem : siue is effectus fuerit proprius siue causa, cur amabô integra illa de humano intellectu contemplatio naturalis scientia nō statuatur? etenim quòd perspectiua secundo Physicarum auscultationum à Philosopho media censeatur inter naturalem atq; Mathematicum, id causæ est : scilicet quòd medij termini suarum demonstrationū, inter hasce scientias uerè medij sint : adhæc quòd tota illius consyderatio deprætendatur esse media, eandem planè legem subit Astrologia, licet oppositam sententiam nonnulli mordicus tueantur, quando cœli naturam atq; substantiam minimè scrutetur, sed quantitatem tantummodò metiatur ac formam, seu figuram, quod ad Mathematicum pertinet : prætere-

rea

rea (quòd ei cum artifice naturali commune est) cœli motũ adamussim contẽpletur. itaq; quũ præter id, quòd eius facultatis omnes demonstrationes medio (quod suppositum est) innitantur naturali, tota rationalis etiam animæ contemplatio naturalis est, cur media dici debeat, haud uideo. Item correlatiuorum est eadem natura, & ad eandem omnino pertinent facultatem, anima uerò rationalis quatenus anima, & quatenus animæ pars, relationem habet ad corpus: nec alio modo (quod patet in tertio de anima libro) consyderatur à Philosopho, quàm quatenus est animæ pars, ergo cõsyderationis est naturalis, non autem mediæ. præterea si donemus ultrò mẽtem humanam incorruptibilem esse, haud inde tamẽ rectè collegeris, eius contemplationẽ in tertio de anima non esse naturalem, quòd nimirum ibidem modo naturali consyderetur, sicut & in octauo Physicarũ auscultationum, speculatio Dei & aliarum insuper substantiarum immortalium naturalis esse docetur, quoniam non absolutè simpliciterúe, sed ut motores sunt eiusmodi consyderantur. Quid plura? plerisq; perspicuum est Aristotelis interpretibus, ad naturalem spectare potissimùm abstractas demonstrare, substantias esse, quòd id medio naturali præstet, idq; demonstratione signi: quanquam Methaphysicus idem quoq; docere potest, hoc est, separatas substantias esse, methaphysicis medijs (quod pauci aduertunt) demonstrare. quid autem substantiæ separatæ sint,

explicare, spectat ad unum Methaphysicum.

OBIECTI DIFFICILIS INFIRmatio. Cap. X.

AT inquies: tertio de anima Philosophus, intellectus humani definitionem inquirit, ac subinde quæ partes eius essentiales sint, & quæ nam sint adfectiones propriæ scrutatur; ergo si semel incorruptibilis statuatur, profectò contemplationem eius si non Methaphysicam esse, medium saltem fateri cogemur. Atqui quum lateat Philosophum, uidelicet num corruptibilis eadem sit, an à corruptione prorsus immunis: cumq; si non unus, saltem præcipuus hic in eo libro scopus existimetur: à posteriori scilicet per effectus substãtiam eius uenatur, ut inde nimirum, cuius naturæ sit hæc animæ pars, hoc est, num æterna uel corruptibilis sit, tandem excutiat. At hic paululum expaciari lubet. Vt donemus artificem unumquenq; quid est, hoc est, essentiam (ut more Philosophorum loquar) subiecti sui propriè speculari, quemadmodum & adfectiones omneis: ita quid est ipsum ac subiecti substantiam eiusdem, ab alio artifice consyderari posse nequaquã imus inficias, sed tamen nõ per se proprieq; quin potius per accidens. nanq; sicut in posterioribus analyticis docetur, quid est, ut quid est, scilicet definitio quatenus est definitio, de eo cuius est seu de

defini-

definito demonstrari nequit: attamen commonstrari per modum passionis potest, id est, demonstratiuo Syllogismo quòd insit illi subiecto potest ostendi, idúe non tanquam eius subiecti definitio (quando demonstrationem scilicet per se solùm accidentium esse constet: quemadmodum & solius substantiæ definitionem esse perhibēt) sed perinde ac si esset eius subiecti, de quo demonstratur adfectio siue (quod dici solet) passio propria. Verùm ubi demonstrator affabrè suo munere functus fuerit, ac perbellè partes suas absoluerit, tûm rationalis animæ pars sublimior quæ mēs à Latinis, à Græcis uerò ΝΟΥΣ *adpellatur, adfectiones omnes diuersis Syllogismis de subiecto (cuius scientiam inquirimus) demonstratas in unū colligens: partem aliam ignobiliorem animæ (quæ ratiocinatrix dicitur) feriari tantisper occiariúe sic permittit, ut etiam quodammodo iubeat, et qnasi hoc in negotio eius opera non indigeat: adeô ut etiam in hac ultima functione sua tanquam sublimiori, sociā alioquin ac ministrā, nēpe rationē ultrò renuat, ac uelut interdicat illi negotium actionesúe suas paululum suspendat, ne scilicet eximium opus suum interturbet: Mens inquam silente ratiocinandi potentia, pro tribunali residens in seipsa, ueluti uera summi rerum opificis imago, quamplureis adfectiones de subiecto demonstratas in unum ueluti scrinium congestas, inter se conferens, atq; iugiter contemplans, excelso suo lumine illo: scilicet quo diuinitatem exa-*

amussim refert, ut paucis admodum, iisq; exantlatis ui x intelligbili, ita prorsus ineffabili & (ut sic dixerim) inenarrabili: collatas inquam inter se adfectiones illas iugiter contemplans, naturali suo lumine dijudicat, quænam earum uerè proprium subiecti sit accidens, quæ uerò species ac substantia, quod alioquin prius animam latebat, ob grandem accidentis proprij cum specie siue forma similitudinem. ut .n. qui olosericos pannos aut ex lana cõtextos ocyus simul ac longè clarius discernunt, uidelicet quinam eorum preciosiores, qui uerò uiliores sint, si conferãtur adinuicem: idq; nimirum interdiu clara luce, quàm si quiuis eorũ seorsum nec alijs collatus cernatur & manibus tractetur: ita mens adfectiones inuicem collatas citius & clarius internoscit, quàm si distinctas separatim singulas intueatur. proinde sicut ratiocinatrix animæ facultas quærit substantiã seu quid est (ut more Dialecticorum loquar) ac definitionem, non quòd is suus propriusúe sit scopus, sed per accidens, cum alioquin arbitretur illud ipsum quid est, adfectionem siue passionem esse subiecti propriam: ita Philosophus in tertio de anima libro, cũ certò sciat intellectum esse potiorem hominis partem (saltem aliquo modo) neq; tamen interea certũ habeat, num corruptibilis sit an corruptionis expers, mehercle dum in dubio uersatur animus, non solùm operationes siue passiones eiusdẽ proprias inquirit, uerumetiam substantiã & quid est: scilicet tanquã

passionem

passionem (supra dictum est) tùm quòd ei nūdum constet eā incorruptibilem esse, tùm quòd eius percepta partæ aliqua substantiæ, facilior patebit aditus ad intelligendum, an mortalis sit uel immortalis. Accedit quòd sicut à priori, sic etiam à posteriori siue per effectum, quid est, siue substantiam subiecti alicuius, per alium artificem per accidens, id est, extra propriæ scientiæ cancellos, demonstrari per modum adfectionis seu passionis, nullum prorsus est incoueniens. etenim si medio quopiam naturali scientificè demonstrata fuisset immortalitas intellectus, quæsitum ipsum quid est animæ, in Methaphysicam indubiè contemplationem reijceremus, quemadmodum de cæteris uidelicet intelligentijs separatis factum esse constat. Præterea quum institutum Philosophi naturalis sit, tradere cognitionem corporum naturalium, scilicet omnium præsertim animalium, atq; hominis precipuè: in libris qui de generatione animantium inscribuntur exactam corporum generationem simul & compagem ob oculos posuit: animæ uerò tantùm obiter ac ueluti per trāsennam meminit, atq, hanc diligentem partium animæ contēplationem, in libros huic functioni dicatos, quibus titulus est de anima, consultò reiecit. Ergo sicut in libris de generatione animātium, de corporibus agit non simpliciter & impromiscuè, sed quatenus materia sunt ac partes animalium, ita nimirum in hisce de anima libris eatenus de anima disquirit atq; disse-

rit, quatenus eius compositi quod animal adpellatur, & pars est & species. quinetiam in tertio de anima libro non alia ratione scrutatur animæ rationalis & operationes & substantiam, nisi quatenus pars est siue forma, non quidem animalis simpliciter, sed animalis huius, quod homo nuncupatur, scilicet ut nobis tandem exquisitam relinqueret cunctorum animantium intelligentiam. Quam ob rem si de intellectu tantùm in eo libro disputat, quatenus est hominis pars, utiq; rationalis animæ consyderatio nõ Methaphysica, uel media, sed naturalis fuerit necessariò: siquidem librorum de generatione animantium ac de anima scopus esse uidetur, unius animalis atq; omnium eius specierum, præsertim hominis, utpote perfectioris cognitio.

ALIORVM OBIECTORVM solutio. Cap. XI.

SI dixeris animam rationalem haud esse formã hominis, sed ei tantùm adsistere, simul ac deforis accedere, respondebo statim eandem uelis nolis, in homine moliri semper aliquid, atq; eo uti uelut instrumento: ac sic etiam intellectus consyderabitur, quatenus operatur in homine, & ad hominem habet relationem: quando constet hominem cognosci non posse, nisi cuncta quæ ad hominis actiones quatenus


homo est, necessariò concurrunt, adamussim percipiantur. si obijcias indagari rationalis animæ substantiam in tertio de anima, nõ quatenus est aliquid ad hominem necessariò pertinens, siue id intrinsecũ ei sit seu extrinsecum: sed quæri cognitionem animæ rationalis simpliciter & absolutè, & (quod dici solet) in se consyderatæ, hoc est, seclusa quauis ad aliud quidpiam relatione: tùm instabo, petamúe mihi locum adsignari, scilicet ubi Philosophus de intellectu differuerit quatenus est hominis pars, aut saltem quatenus est aliquid hominis, hoc est, quatenus ad hominis actiones proprias concurrit. nanq; præter id, quòd eundem intellectum ad hominem spectare necessariò uel sensus penè (liceat enim ita mihi loqui clarioris doctrinæ gratia) declarat, Aristoteles insuper secundo de generatione animantium, generationem hominis sigillatim explicans: ubi de altrice sensificaúe hominis facultate uerba fecisset, ne quid explicationi partium cùm materialium hominis, tùm formalium deesset, statim subintulit: Mens sola extrinsecus aduenit, & quæ sequuntur. quanquam de hac sublimi parte tantùm hic obiter agit ac perfunctoriè, quando primarium eius institutum in hisce libris fuerit, tractare simpliciter adamussimúe de ijs solùm, quæ ad corpus spectant. Ceterùm agi de intellectu in tertio de anima libro, scilicet ea tantùm ratione, qua refertur ad hominem, Aristotelis uerba uel in ipso libri limine statim, in ipsis (quod aiũt)

foribus luce meridiana clarius oſtẽdunt, inquit enim: De parte autem animæ qua anima intelligit, & ſapit, & reliqua. etenim de anima tota Philoſophum diſquirere, quatenus ad animal in genere pertinet, uel apud omnes in confeſſo eſt, quando definiat eandem, actum eſſe primum phyſici corporis & organici. quare ſi totam animam in hiſce libris Philoſophus conſyderat, quatenus ad animal pertinet, & animalis eiuſdem gratia: humanum autem intellectum contemplatur, quatenus eſt pars eiuſdem animæ totius, ergo ſequitur, uelis nolis, eundem intellectum hic eatenus contemplari, quatenus animalis huius, hoc eſt hominis, aliquid eſt, & ad hominem tanquam ad animalis ſpeciem quandam refertur, hoc eſt, quatenus ſaltem ad hominis actiones neceſſariò concurrit. Hinc Alexander in ſua de anima paraphraſi dicit Ariſtotelem in tertio de anima diſquirere de anima, quæ continetur in corpore generabili & corruptibili (addo ego hanc adpendicem) uel operatur ſaltem aliquid in corpore generabili & corruptibili, & ad eius actiones neceſſariò concurrit.

OBIE-

OBIECTVM ALIVD *infirmatur. Cap. XII.*

CAETERVM *restat ut binos aggeres ui rorũ quorundam eruditissimorum demoliamur, primum sic habet: secundo Physicorum uigesimo sexto docet Philosophus consyderari formas à naturali eatenus tantùm, quatenus sunt in materia: rationatrix ergo facultas utpote separabilis & incorruptibilis haud naturalis merè consyderationis fuerit. uerùm huic obiecto sic occurrimus dicentes, à naturali formas consyderari iuxta Philosophi sententiam, quatenus sunt in materia (addenda est isthæc adpendix) uel quatenus operantur in materia: scilicet (ut opinor) quia quidquid operatur in materia, quanuis ab ea separabile sit ac incorruptibile, tamen esse modo quodã in materia dicitur, quod uel ex eo probatur, quia Deus sub ea ratione, qua motor est, physicæ consyderationis esse cẽ setur, cum alioquin minimè species sit in materia, sed tantùm operatur in materia. Secundũ obiectum sic habet: Res eo modo consyderantur in scientia, quo de finiuntur, sed intellectus humanus absq; materia de finitur, ergo consyderatur absq; materia, ac per con sequens eius contemplatio minimè naturalis fuerit. primò respondemus intellectum hîc minimè definiri, sed describi tantùm atq; (ut ita loquar) adumbrari per prædicata, quædam de intellectu eodem prius probata:*



probata, quod sic ostenditur: definitur hic intellectus ab Aristotele, quòd sit immixtus separabilis, incorporeus, & per consequens immortalis. sanè prædicata eiusmodi uel intelligentijs omnibus à materia separatis conuenire uideantur: præterquã quod de eis fortè dici posset, quòd separabiles dici nequeant, quando iam actu separatæ sint: atq; hoc haud obest instituto nostro, siquidem quod suapte natura separari aptum natum est à materia, ac in natura rerum ab eiusdem separatione superesse: illud idem cũ actu separatis genere conueniat oportet, cum utrunq; sit incorporeum, immixtũ, & corruptionis expers. Ergo prædicatorum similium adgregatio (quæ humano intellectui competunt) haud quaquã intellectus eiusdem definitio statuenda est, quandoquidem alijs (ut dictum est) conueniat, quinpotius Syllogismorũ optimo iure qui præcesserunt, cõclusio uenit adpellanda. præterea si donemus ultrò passionum eiusmodi collectionem intellectus esse definitionem, haud inde tamen necessariò consequitur (quod aduersarius intendit) nempe de intellectu scientiam non esse naturalẽ, quia Philosophi scopus haud erat hic definire substãtiam à materia separabilem uel actu separatam, sed indagare potius, num ea substantia, scilicet anima rationalis æterna foret aut corruptibilis, & eius definitionem adferre tanquam rei naturalis, uidelicet actionibus naturalis cõpositi deseruientis. Itaq; quòd hic definitionem materia carentem protulerit:

hoc

hoc est præter eius institutum & per accidens, quẽadmodum etiã octauo Physicarum auscultationum ad calcem definit (si definitio uenit adpellãda) primum motorem incorporeum esse, simul ac infiniti uigoris & immortalem: neq; tamen ob id iustè dixeris, ibidem primi motoris contemplationem fineis naturalis ègredi consyderationis, & ad alium artificem pertinere. Ex superioribus itaq; constare arbitror, rationalis animæ consyderationem ad hominem referri, & consequenter animæ scientiam non diuinam aut mediam, sed absolutè simpliciterq; naturalem esse. proinde de mente humana hoc in libro uerba facturus, ad eius immortalitatem demonstrandã medijs utar, à naturalinm rerum cùm fuuctionibus, tùm essentia petitis.

ARISTOTELIS INTELLECTVS agentis atq; possiibilis discrimen, ex principijs à Platone prius inuentis deductum ostenditur. Cap. XIII.

QVOD aliâs Plato docuerat, nempe rationalem animam ab omni materia quantũuis immunem, esse nihilosecius compositam, scilicet ex partibus rationalibus quantitate carentibus: id Aristoteles hîc adãmussim absoluit, ac pro cõfesso subijcere uidetur illud insigne Platonis theorema:

rema: uidelicet sensibilia corpora, separatarum à materia substantiarum esse simulacra. Nanq; sicut uidendo simulacrum aliâs inuisum, rem quanpiam ad uiuum (ut ita loquar) exprimens atq; ob oculos ponens, sensim paulatimúe deducimur in eiusdē inuisæ rei cognitionē: ita nimirū in frustra dissectis, non cultro quidem aut mucrone, sed per intelligentiam corporibus sensibilibus: idúe suas in parteis essentiales atq; simplicissimas, in separatis à materia tale quidpiam offendi mox auguramur. hinc ab initio statim huiusce tertij libri de anima inquit: Videndum est, quî fiat ipsum intelligere (subdit) si igitur est intelligere sicut sentire, profectò sicut sensitiuum à sensibili patitur, ità patietur intellectiuū ab intelligibili. præterea quemadmodum sensitiuum species siue formas recipit sensibiles, & ad eas suscipiendas prius est in potentia, si: intellectus & species recipit intelligibiles, & ad eas est in potentia suscipiendas: adhæc sicut sentire non est propriè pati à sensibili (patitur enim quidpiam à contrario) quin potius aliquid simile passioni, quemadmodum antè libro secundo monstratum est: ita nimirum intelligere pati quoddam erit, non absolutè quidem atq; simpliciter, sed aliquid simile passioni. Item sicut sensitiuum omni specie sensibili carere debet suapte natura, prius quàm eandem suscipiat, quum omne recipiens iuxta naturæ legem, necessariò recepti natura careat: ita nimirum intellectiuū, esse formis omnibus

desti-

destitutum intelligibilibus, ad quas suapte natura suscipiendas est in potentia, naturalis ratio dictat. ob secro, si sensus haud foret intellectus simulacrum, quî Philosophus ex eius similitudine, naturam intellectus & eiusdem operum affabrè scruteretur? quã amabô uiã nobis ad id uestigandũ aliam natura suppeditauit? itaque prorsus eandem obseruat hic methodum idem Aristoteles, dum intellectum agẽtem inuestigans ait: In omni uatura, quæ sit aliquando in potentia, quandoq; uerò in actu, necesse est adsignari quidpiam in quocunq; genere, quod sit materies, hoc est, in potentia ad omnia, quæ sunt illius generis: dein aliud, quod in eodem genere sit agens, quodq; faciẽdo quælibet, planè se habeat sicut ars ad materiam: at anima rationalis aliquando est in potentia, nonnunquam autem in actu, sequitur igitur in eadem intellectrice facultate similes reperiri differentias: scilicet ut unus omnino detur intellectus, in quo possint intelligibilia cuncta recipi, simul ac fieri, qui passim intellectus adpellatur passiuus siue possibilis, de quo mox ab initio libri dictũ est: alius uerò sit intellectus oportet, qui scilicet intelligibilia potentia, actu intelligibilia queat efficere: atq; hic intellectus agens nuncupatur, quem Aristoteles hoc loco uocat habitum: non quòd intellectus agens idem sit, quod intellectus in habitu, sed per habitum, speciem & actum intelligit: iuxta quem sensum formæ rerum habitus dicuntur, hoc est, actus

quãuis

quanuis etenim tota rationalis animæ pars forma sit, cæteris uidelicet animæ potentijs collata: si tamen intellectricis eiusdem facultatis partes inter se conferantur, intellectus agens, optimo iure species dicetur ac forma, passiuus autem siue possibilis, materies. Quam ob rem apertè satis constare arbitror huiusce conclusionis probationem, nempe quòd intellectus humani partium, alia possibilis sit seu passiua (neq; enim de nominibus disputãdum est) alia uerò sit agens: constare inquam arbitror ex superioribus, huiusce theorematis probationem haud aliunde deductam esse, quàm ex eo Platonis enuntiato pulcherrimo, quòd sensibilia sint abstractorum imagines atq; simulacra. Cæterùm intellectus agens nequaquam actus adpellatur, quòd species actu rerum sensibilium in se contineat, alioquin haud egeremus ad intelligendum in actu phantasmatibus; sed ijsdem semotis atq; sepositis abundè nobis solus ad intelligendum sufficeret intellectus agens: Verùm idcirco nuncupatur isthæc sublimior animæ rationalis pars, intellectus agens, actu quanlibet orbatã speciebus intelligibilibus, quoniam actiua quædam uirtus est immaterialis, quæ species immersas materiæ & ob id eidem naturæ dignitate uidelicet inferiores, ultrò proprijs uiribus immateriales sibiq; similes reddere potest.

EXPLI-

EXPLICATVR TEXTVS VIGESIMUS tertij libri de anima, simul ac inde colligitur incorruptibilem esse totam rationalem facultatem iuxta Philosophi sententiam.
Cap. XIIII.

VIGESIMI textus (iuxta sectionem Auerrois) prima pars explicat, quid sit intellectus in actu, quæ quidem textus pars præter id, quòd instituto nostro parum conducit, insuper clarissima est, proinde secundam eiusdem textus partem adgredior: quippe quæ nundum examussim hactenus meo quidem iuditio fuit ab aliquo (quod sciam) Aristotelis interprete declarata, cuius uerba sic habent: separatus autem est hoc solum, quod uere est, & hoc solum immortale & perpetuum est. Philosophus hoc loco (quod interpretũ nullus aduertit) aliud theorema siue placitum aut decretum (quomodocũq; nominare uolueris) quod à Platone diuino, præceptore suo iandiu antè didicerat, pro confesso subijcit: nempe separatas à materia substantias uera solùm adpellari entia uerasq; substantias (quod nos satis feliciter antè quartum & uigesimũ annum, dum Platonis decreta publicè tueremur in diuersis, ijsúe præcipuis totius Italiæ gymnasijs pro uirili nostra defendimus) separatas à materia substantias inquam, uera tantùm esse

(ut

(quòd nemo uertit in dubiũ) continuò fluat. Haud me latet, adferri solere uarias huic obiecto responsiones, quas quòd instituto nostro nihil, aut certè parũ conducant, sicco (quod dici solet) pede lubẽs praetereo. nam isthaec corruptibilia corpora quanuis eadẽ esse deffendi queant, quia species eadem perseuerat, quandiu non corrũpuntur: tamen haud illud idem esse uerè dixeris ac propriè, cuius portio substantiae, singulis penè momentis perit. nec obstat mehercle, quòd materiales tantùm, non autem formales continuò parteis euanescere dicas, quia uitiari nequit materies, utpote speciei coniux fidissima, quin eidem quoq; speciei statim inferatur noxa, quemadmodum nec forma laedi potest, illaesa quantunuis materia; adhaec cũ intrinsecè substantia corruptibilis in suisq; uisceribus, contraria mutuò pugnantia concludat ac seruet, quae suam essentiam perpetuò turbant atq; lacessunt; fieri nequit, ut eadem praecisè tutoq; subsistat. Accedit, quòd elementa circum ambientia continuum iisdem corporibus moliuntur interitum, ac licet ad tempus utcunq; se ipsa tueantur, necessariò tamen crebris ictibus ab illa uidelicet essentia, non quidem numeris omnibus absoluta (quam scilicet nusquam habuerunt) sed ab imperfecto illo quem prius aliquando possidebant essentiae substantiaeq; gradu deijciuntur. num putas aegrum animal eq; ac sanum subsistere? quam ob rem ut redeamus, unde nostra nuper fluxit oratio, quum isthaec corruptibilia

ptibilia

ptibilia singulis horis atq; momentis, occasui palàm interituiq; dignoscantur obnoxia: dein creberrimis iniurijs exposita sint, cùm internis tùm externis, profectò necesse est, ut eorum essentia simul ac subsistētia fragilis caducaúe diudicetur. quò fit, ut entis adpellatione simpliciter indigna censeri debeāt. quare non entia, non substantiæ simpliciter & absolutè, sed cum hac adpendice uidelicet entia corruptibilia, uel substantiæ corruptibiles omnino ueniunt adpellandæ: atq; hoc est nimirum, quod Philosophus (ut consueuit) admirabili breuitate néruosóq; dicendi modo subintulit: separatus autē est solùm hoc, quod uerè est, perinde ac si hunc in modū efferret: quum essentia pariter ac subsistentia rerum corruptibilium caduca fragilisúe sit, nec omni ex parte prorsus eadem permaneat, uel singulis momentis; quòd intestinū ciuileq; bellum intra lares atq; parietes perpetuò contineāt: separatæ uerò species à materia illa informi simul ac deformi, priuationis exptes, ex partibus utiq; rationalibus inter se nusquā pugnantibus constituātur, atq; penitus eadē adamussim seruētur, prorsus ab omni mutatione deprehēdātur immunes, quòd suapte natura cōtrarietate careant: quum isthæc inquam sic habeant, liquidò adparet, separatas ab informi materia substantias uerè tántùm esse, uereq; subsistere. Quocirca cum ex superioribus abundè constet, essentiales intellectus humani parteis, agentē uidelicet intellectum atq; possibilem: & à cor-

pore separari immixtum esse: mediusfidius necessariò consequitur, uniuersam intellectricem facultatē ex hisce duobus intellectibus tanquam ex partibus conflatam, uerè esse simulq; uerè subsistere, hoc est, uerum ens, ac subinde ueram esse substātiam, & per consequens hanc solam, inter animæ parteis siue potentias esse perpetuam atq; immortalem: quod probatur, quia separatur solū hoc, quod uerè est, & hoc solum immortale et perpetuum est. Alius textus sic legitur: separatus uerò id est solùm (excludit hanc particulam uerè) quod est, atq; id solùm est immortale perpetuumq;: quæ lectio longè melior est, et Aristotelicæ phrasi magis conueniens, quia dum inquit: separatus uerò, id est solùm quod est, intelligit quòd absolutè ac simpliciter est, absq; aliquo adiuncto: ut uel hoc ipso distinguatur à non separatis à materia, quæ nequaquam absolutè simpliciterúe dicuntur entia, sed cum adpendice nuncupantur entia corruptibilia, & esse creduntur secundum quid potius, quàm uerè simpliciterúe: scilicet si cum æternis ac immutabilibus, conferantur. Quocirca iure species naturales aut composita naturalia, substantias minimè simpliciter enūciaueris (quòd id nomen æternis propriè solùm competat, sed cum hac adpendice uidelicet, substantias corruptibiles: quòd nimirum per se consyderatæ possint quidem adpellari substantiæ (quanquam impropriè) sed tamen æternis collatæ prorsus indignæ censeātur uocabulo substantiæ: siqui

dē

dē quod propriè tale est, ac dicitur, illud idē perpetuò, cuicunq; conferatur, tale semper fuerit, & dicetur.

EXPENDVNTVR ARISTOTELIS uerba: Non reminiscimur autem, & quæ sequuntur. Cap. XV.

SVBDIT proximè Philosophus ad uerbum: Non reminiscitur autem, quia hoc quidē impassibile est, passiuus uerò intellectus est corruptibilis, & sine hoc nihil intelligit anima, sanè uerborum hîc expositio minimè difficilis est, at quod quidam obijciunt, haud mediocrem habet difficultatem. equidem præ ceteris hoc loco probauerim interpretationem sancti Thomæ, qua docetur respondere Philosophum obiectioni tacitæ, quæ clarioris doctrinæ gratia sic formari potest: Quum intellectus humanus aliquãdo separetur à corpore, et per consequens immortalis sit atq; perpetuus, quæritur, nûm à materia, hoc est, à corpore separatus intellectus sciat intelligatue: scilicet eodem modo, quo scit, intelligit, reminiscitur, amat, odit, & alia id genus agit, dum in corpore moram trahit. huic obiecto iuxta sententiam sancti Thomæ (quæ mihi uehementer arridet) satisfacit inquiens: Non reminiscitur autem (scilicet à corpore separatus) intellectus, quoniam passionis est expers, quasi diceret: reminiscentia quem-

admodum amor, odium, & alia id genus haud contingunt absq; passione corporea: Intellectus autem humanus supponitur hic à corpore separatus, ac per consequens impassibilis, igitur hoc casu reminisci, amare, odire, & alia huiusmodi nequaquã agere poterit: præterea scire uel intelligere, uidelicet eodẽ modo, quo dum corpori hærebat, intelligere consueuerat & scire: quandoquidem ex libro de anima primo constet, intelligere corrumpi quodã interius corrupto, adhæc corrupto corpore nec reminisci nostrũ intellectum, nec amare. quam ob rem cur separatus intellectus nõ recordetur seu reminiscatur (idem intellegit de amore, odio, & aliјs id genus, cum isthæc omnia ex corporea passione contingant) rationẽ adsignat, quoniam hoc quidem est impassibile (scilicet intellectus humanus est impassibilis) intellectus uerò passiuus (hoc est imaginatrix uirtus) est corruptibilis (subdit) et sine hoc nihil intelligit anima, id est, intellectus à corpore semel separatus, haud intelligit amplius quidquam eorum, quæ prius sciebat, dum esset corpori coniunctus: scilicet eodem modo, quo prius intelligebat adnexus corpori, & ratio est (quã hoc eodem libro paulò infra declarat) quòd intellectus humanus haud scire intelligereúe quidquam potest absq; phantasmate, hoc est, absq; imaginatrice facultate, quam hoc loco uocat intellectum passiuum: ac per consequẽs separatus intellectus nihil intelligit, quòd nimirum instrumenta desint, nẽpe phan-

pe phantasmata, quibus solis intelligere potest. Porrò non existimat Philosophus absolutè, quòd intellectus humanus intelligere nequeat absq; phantasmatibus, sed cum hac appendice, perinde ac si ita loqueretur: Intellectus nõ potest intelligere sine phantasmatibus, non absolutè quidem atq; simpliciter semper, sed eodem (ut supra dictum est) modo, quo intelligebat, dum esset annexus corpori. hæc syncera est sancti Thomæ expositio horum uerborum Aristotelis: & quantùm iudicio consequi possum legittima, & planè digna tãto Philosopho. Verùm illud quoq; crediderim addendum esse, nempe quòd sicut intellectus à corpore separatus intelligit ac scit, quanquam modo longè ab eo diuerso, quo intelligebat cum corpore: ita separatus idem intellectus amat, & odit, sed tamen modò longè diuerso ac prius, itaq; Aristoteles inquiẽs intellectum separatum haud reminisci, & similiter (quòd subaudiendum est) non amare, nec odire, planè uenit intelligendus: non quòd simpliciter separatus intellectus non reminiscatur, nec amet, nec odiat: sed quòd non reminiscatur, nec amet, nec odiat eodem modo, quo recordari, odire, & amare solebat, dum esset corpori copulatus, alioquin esset frustra, dum esset separatus, si nihil ageret.

OBIECTA CONTRA SANCTI Thomæ expositionem unâ cum responsioribus Camutij. Cap. XVI.

CONTRA Gaietanus obijcit hunc in modum: Quociescūq; Philosophus intellectus passiui seu passibilis meminit, semper intelligit eam animæ partem, quæ recipiendo species intelligibiles in causa est, ut anima sapiat & intelligat: ergo nō est uerisimile, quòd hoc loco tantùm, per intellectum passiuum intellexerit imaginatricem facultatem. Atqui duo proferam Aristotelis loca, in quibus apertè abutitur intellectus uocabulo pro imaginatione. primus est in hoc libro tertio de anima textu quadragesimo octauo, iuxta sectionem Auerrois, ubi disquirit ex professo, quodnam motus initium statuendum sit in animantibus, inquiens: Videntur autem duo hæc mouentia aut adpetitus aut intellectus (mox subdit) si aliquis posuerit phantasiam sicut intellectum quendam. dein ad calcem huiuscè textus idem ad uerbum penè repetit inquiens: Vtraq; hæc ergo motiua sunt secundum locum, intellectus & adpetitus: ubi luce meridiana clarius, sub intellectus uocabulo phantasiam quoq; comprehendit. alter locus habetur libro primo Ethicorū capite ultimo, ubi ait: Videtur & alia quædam esse natura animæ uacans ratione,

, tione, aliqua tamen ex parte rationis particeps.
, deinde paulò infra ad uerbum inquit: anima ra-
, tione uacans duplex esse uidetur, uegetatiua nanq;
, nullo modo rationis est particeps, sed cupiendi uis
, & omnino adpetendi rationis est quodammodo par
, ticeps ea ratione, qua obedit ipsi atq; obtemperat:
, sic & patris & amicorum, & non ut rerum ma-
, thematicarum dicimus rationem habere. hanc au-
, tem partem ratione uacantem, rationi obtempe-
, rare, admonitiones, & increpationes, & cohorta-
, tiones etiam indicant (statim subdit) quod si opor
, teat hanc quoq; partem dicere rationem habere,
, duplex ea pars erit, quæ rationem habet: & una
, quidem propriè, & in seipsa, Altera uerò ut is qui obtemperat patri. Hæc ille, ex quibus liquidò adparet nonnullas corporeas atq; corruptibiles facultates adpellari posse rationales, ac per consequens intellectus, quanquã haud per se nec propriè, quemadmodum intellectus uerus, incorporeus, immixtus & impassibilis: sed eatenus tantùm, quatenus intellectui uerò rationiq; paret haud secus, ac is, qui patri obtemperat. Quocirca non solùm ex allegatis patet, imaginationem, & cupiendi uim, & omnino adpetendi, rationales facultates & intellectus posse nuncupari: uerumetiam, ratio colligitur, quam ob rem intellectus dici possint, nempe quoniam obediunt rationi secundum naturã. Sanctus Thomas aliam attulit rationem pulcherrimam, ui-

delicet imaginationem, intellectum uocari, et sub intellectus uocabulo comprehendi, quòd aliquid intellectui simile possideat: nempe quatenus mouet absentibus etiam sensibilibus, haud dissimili modo quàm intellectus, absentibus quanlibet intelligibilibus. Potest alia quoq; formari ratio contra expositionem adductam hoc pacto: Philosophus textu decimo octauo postquam declarauit, in anima rationali esse intellectum agentem, statim eodem textu conditiones assignat eiusdem agentis intellectus: scilicet quibus differt à possibili, de quo superioribus textibus abundè disseruit inquiens: Et is intellectus separabilis est & non mixtus, passioneq; uacat, cum sit substantia actus, perinde ac si ita loqueretur: hic intellectus agens separabilis est à corpore, adhæc immixtus & impassibilis, propterea quòd est actus & substãtia, scilicet in actu, quæ sola uerè simpliciterue sustantia dicitur, quibus suppositis argumentor sic: si agens intellectus hac sola ratione separabilis est, immixtus, & impassibilis, quoniam actus est, in suis functionibus obeundis haud utens organo corporeo: cum instar luminis potẽtia intelligibilia, efficiat actu intelligibilia, sequitur intellectum possibilem: quippequi pura meraq; potentia est, nequaquam immixtum esse, præterea nec separabilem & incorporeũ. Verumenimuerò textus alius sic habet: Et hic intellectus separabilis, & impassibilis, & immixtus, substantia actu ens. Adeò iuxta secundam hanc uersionem

nem

nem, isthæc adpendix ultima: substantia actu ens minimè fuerit adsignatio causæ, cur intellectus separabilis sit, immixtus, et impassibilis: quin potius (ut rectè sanctus Thomas exponit) præmissis tribus adnectitur condictionibus agentis intellectus, ueluti quarta conditio: ut sic non tres tantùm, sed quatuor intellectus agentis conditiones euadant, quarũ tres: nempe separabilis, immixtus, & impassibilis, communes sunt intellectui agenti cum intellectu possibili: quarta uerò uidelicet substantia actu ens, propria tantùm est intellectus agentis: quandoquidem hac una condictione distinguatur agens intellectus à possibili, quòd hic scilicet suapte natura sit actus, ille uerò solùm potẽtia sit. Proinde postquam dixit hũc intellectum esse actum, statim subintulit: semper.n. honorabilior est agens patientie, & principium materia, hoc est, nulla te maneat admiratio, quòd dixerim hunc intellectum esse actum, alium uerò potentiam: quoniam hic intellectus, quem actum esse dicimus, efficiens est, alius autem cum recipiat, tãtùm est materia, et id quod efficit & agit, prestabilius est eò, quod patitur, & principiũ scilicet efficiens (quod nomen efficienti propriè competit) dignius est materia. Quapropter haud legendum est: Et hic intellectus separabilis est, immixtus, & impassibilis, cum sit substantia actus: quasi possibilis intellectus quia non est substantia actus, id est, quia secundum suam naturam atq; substantiam non est actus, sed mera

poten-

potentia: idcirco non sit immixtus, impassibilis, & separabilis: quando superius eundem abundè declarauerit esse (textu quarto) separabilem, immixtum, & impassibilem: idq; demonstratione propter quid, scilicet secundum expositores, ex qua demum excerpsit eiusdem possibilis intellectus definitionem textu quinto. Quare sic uertenda est Aristotelis sententia: Et hic intellectus inseparabilis, immixtus, impassibilis, & substantia actu, hoc est, secundum suam substantiam atq; naturam hic intellectus est actu & non potentia, ut hæc particula siue adpendix: substantia actus, uel substantia actu ens (quomodocunq; uertas hæc uerba nil refert, modò expungas illud: cum sit) non sit redditio (ut sic dixerim) siue adsignatio causæ, cur hic intellectus separabilis sit, immixtus, & impassibilis: sed sit potius conditio quarta, per quam hic intellectus à possibili distinguatur: quum ex superioribus satis constet, tres alias conditiones: nempe separabilem esse, immixtum, & impassiailem, indiscriminatim utriq; cùm agenti tùm possibili intellectui conuenire, quod de quarta conditione dici nequit, scilicet quòd sua substantia sit actus.

OBIECTA SOLVVNTVR CONTRA partem eius textus: Non reminiscitur autem, & quæ sequuntur. præterea probatur hic intellectum passiuum haud pro possibili accipi posse. Cap. XVII.

NON reminiscitur anima rationalis à corpore separata, quoniam est impassibilis (inquit Aristoteles) ac per consequens nec amat, nec odit, quòd isthæc nimirum ex aliqua passione corporea contingant: pars autem animæ, quæ non est absq; prædictis passionibus (quam hic passiuum intellectum Philosophus nuncupat) omnino corruptibilis est, & sine hac animæ corruptibili parte, quæ phantasia seu imaginatio dicitur, nihil intelligit anima rationalis; siquidem necesse est (quod hoc eodem & sequenti libro probatur) intelligentē phantasmata speculari. hisce suppositis, argumentantur aduersarij hunc in modum: si rationalis animus haud habet opus proprium, à corpore minimè separabilis fuerit, at si datur eius animæ partis opus proprium, illud præcipuè fuerit intelligere potius, quàm aliquod aliud. porrò hoc ipsum intelligere necessariò phantasmatibus indiget, ergo non erit intellectui proprium. atqui nullum aliud opus animæ rationalis proprium effingere queas, nedum adstruere demonstrationibus, si semel unam intelligentiam exclu-

excluseris, nullum igitur habet anima rationalis opus proprium, & per consequens minimè separabilis fuerit & immixta, nec incorporea, quin potius obnoxia corruptioni. Respondeo nullum quidem effingi posse rationalis animæ proprium opus, præter unam intelligentiam, uerùm ut hoc ipsum intelligere rationalis animæ manentis in corpore, absq; phantasmate fieri nequit: ita illud ipsum intelligere rationalis animæ, non quidem potentia separabilis, sed à corpore iam actu separatæ, fortassis modo fit diuerso. Proinde non adseuerat hic absolutè Philosophus, intelligere quodlibet egere phantasmatibus, sed innuit tantùm intelligendi modum huiusce status, hoc est, dum intellectus corpori copulatus offenditur, exposcere phantasmatum suffragia, perinde ac si ita loqueretur: intellectus iam actu, corporeis uinculis solutus ac separatus, haud reminiscitur amplius eo modo, quo reminisci consueuerat adnexus corpori: nec odit pariter, nec amat ut prius solebat, quia dũ hæreret corpori, talia ædebat opera corpore suppetias ferrente, hoc est, sensilis facultatis adminiculo, quam uirtutẽ corpoream esse constat. Quam ob rem si uel actu separatus animus à corpore, reminisceretur adhuc eodem modo, & odiret similiter, & amaret: sequeretur ipsum intellectũ suapte natura corporeum esse, simul ac passibilem. Atqui nos iam dudum eũdem esse immixtum, separabilem, incorporeũ, impassibilemúe probauimus, scilicet iuxta Philosophi

phi sententiam: ergo sequitur eum, ubi semel à corpore fuerit actu separatus, haud amplius amare, odire, reminisci, atq; alia id genus agere, quæ uidelicet ex aliqua passione corporea contingunt. Verùm hi contra responsionem, hanc instantiam adferre possunt hoc pacto: si modus alius intelligendi daretur intellectus à corpore separati, qui nulla prorsus requireret exigeretúe phantasmata: omnino sequeretur, Aristotelem eum intelligendi modum alicubi declarasse, aut eundem esse mancum atq; mutilum. at occurrentes huic obiecto dicimus, Aristotelem aut immatura morte præuentum, non potuisse Philosophiæ partem hanc absoluere, aut (quòd uerisimilius est) eandem Philosophiæ partem utpote difficilimam, & à sensibus remotissimam ignorasse. Hoc etenim eum præcipuè decuit, scilicet ut ea solùm, quæ ualidissimis rationibus firmari poterant, enuntiaret, cætera uerò uel data opera subticeret. proinde quãuis humanum intellectum incorruptibilem esse putaret, quia tamen hisce rationibus, quas in mediũ protulerat ad id demonstrandũ, haudquaquã satis fidebat, idcirco Sphingis instar ambiguè passim perplexeq; loquitur, ac dum uarijs in locis secum dissidere uidetur & pugnantia scriptis mandare, legentibus interea scrupulos inijcit: adeò uisus est utriq; parti fauere, & ijs, qui corruptibilem, & alijs qui corruptionis expertem eundem intellectũ esse putarunt.

PROBATVR RVRSVS HAVD HOC loco capi posse passiuum intellectum pro ea rationalis animæ parte, quæ possibilis intellectus adpellatur, deinceps dari necessariò post mortem alium intelligendi modum, iuxta mentem Aristotelis.

Cap. XVIII.

POSSIBILEM intellectum, quæ pars in anima rationali materiæ uices gerit, esse iuxta Philosophi sententiam à corpore separabilem, immixtum, impassibilem, ac per consequens incorporeum & incorruptibilem satis superq; ex superioribus constare arbitror. Quocirca sic adorior aduersarios Alexandri Aphrodisei doctrinam insequentes: sicut à posteriori Philosophus argumẽtatur primo de anima inquiens: si anima possidet opus proprium, separabilis est, sin secus, haud contingit ipsam separari: ita postquam tertij huius libri textu quarto, demõstratiuè passim creditur probasse possibilem intellectum esse incorporeum, ac per consequens à corruptione prorsus immunem, à priori demonstratione propter quid regredi liceat hunc in modum: Si humanus intellectus est separabilis (quod certè Philosophus si non demonstratiuè probat, saltem opinatur

natur esse uerum, id(ue tam de passiuo, quàm de agente intellectu) dubio procul habet opus proprium: et si non cõtingat eum separari, non habebit opus proprium, ut demonstratio talis euadat: Quæcunq; uirtus à corpore separabilis est, eadem necessariò (ne sit frustra) possidet opus proprium: intellectus possibilis est eiusmodi, quod adducto loco demonstratum fuit, ea scilicet ratione, quòd omneis recipiat materiales species, ergo possibilis idem intellectus habet opus proprium. porrò quum apertè constet ex adductis, intellectum possibilem opere proprio nequaquam destitui, supposito scilicet Aristotelis fundamento, quòd separabilis sit: nec aliud cõminisci uel effingere queas præter hoc ipsum, quod est intelligere, consequitur illud ipsum, esse possibilis intellectus opus proprium: at huius status mortalis intelligentia necessariò poposcit phantasmata, necesse fuerit igitur, ubi separatus à corpore fuerit actu, possibilis intellectus, ut alio modo intelligat: qui scilicet à nostro intelligẽdi modo longè sit diuersus, qui(ue phantasmata ueluti superuacanea prorsus respuat, eliminet, & abhoreat. instabis forsitan: si datur modus intelligendi diuersus, explicato mihi tandem, qui fiat à morte corporis isthæc intelligentia, alioquin adseuerabo merum istud esse figmentum, ac nudius tertius (ut ita dicam) esse prorsus inuentum mẽdacium. Quid ais? nunquid ubi cognoueris aliquid esse necessarium, consequi protinus opinaris, ut quid illud idem sit, necessariò statim

agnoscas? nonne rei alicuius quæsitum si est, nouisse liceat, & quid est ipsum ignorare? demonstratiuè probat naturalis à posteriori, substantias abstractas esse, & hoc ipsum à naturali probatum accipit methaphysicus: neq; tamen unquam potest (quanquã hoc ad ipsum munus propriè pertinet) quid abstractæ substantiæ sint agnoscere. itaq; si dixerit quispiam: haud potest Aristoteles ostendere quidnam abstractæ substãtiæ sint, ergo falsum est quoq;, quòd eædẽ in rerum natura sint: amabô quod genus illationis est istud? quæ absurdior differendi methodus effingi potest? ergo probatum est abundè Philosophum arbitrari, possibilem intellectum esse separabilem: unde methodo (ni fallor) demonstratiua deduximus intulimusúe, uelint nolint, eundem opus habere proprium; dein nullum aliud adsignari licere, præter unum intelligere: demum intelligendi modum, intellectus à corpore iam separati esse necessariò diuersum ab eo, quo nunc intelligimus, oportere: quanuis ignoremus quis sit, & quî fiat ille modus intelligendi diuersus, phantasmata, respuens. nanq; Deum Opt. Max. omnes fatentur, unâ cum cæteris abstractis substantiis intelligere: adhæc eum intelligendi modum à nostro longè diuersum, non solùm auguramur, uerùm etiam certò scimus, quando constet, ibi nequaquã usum intercedere phãtasmatum: sed tamen quis sit, aut quî fiat in intelligentiis superioribus, ille modus intelligendi diuersus, cuius

intelli-

intelligentiã nostram uelut umbram ac imaginem esse tantùm, rationi consentaneum est: quî fiat inquam abstractarũ substantiarũ intelligentia, prorsus nescimus: & si quisquã eruditus, eius intelligendi modi meminit, sanè dialecticè loquutus est, atq; probabiliter, non autem demõstratiuè: quod attestasse Plotinum imprimis, deinde sanctũ Thomam liquidò adparet. Cæterùm haud fieri posse, ut Aristoteles inquiens: passiuus uerò intellectus est corruptibilis, per intellectum passiuum, intellexerit possibilem animæ scilicet rationalis partem (quod Alexandri sectatores litteræ plus iusto mordicus adhærentes uel obstinatè contendunt) sic probatur: si Philosophus hîc attestaretur solùm agentem intellectum impassibilem esse (quemadmodum interpretantur ipsi) & non totam rationalem animam: præterea si fateretur hîc intellectum possibilem esse corruptibilem, ex diametro sibi ipsi aduersaretur: quippe qui textu quarto iuxta sectionem Auerrois, concludit intellectum possibilẽ immixtum esse, ut cognoscat & percipiat, scilicet omnes formas materiales. Item textu quinto definitionem adsignat eiusdem intellectus possibilis inquiens: Quò fit, ut neq; ulla sit ipsius natura, nisi ea solùm, qua possibilis est, uocatus itaq; animæ intellectus (dico autem intellectum, quo opinatur et intelligit animus) nihil est actu prorsus eorum, quæ sunt, antè quàm intelligat (mox deinde subdit)

, dit) unde neq; misceri rationabile est ipsum corpo-
, ri: Qualis enim quidem fieret calidus aut frigi-
, dus, et instrumentum ipsius aliquod esset profectò,
, sicut & sensus. Nunc autem ipsius nullum est in-
strumentum, hæc ille. Si Philosophus hic (ut con-
stat) ait intellectum possibilem, quo anima opina-
tur ac intelligit, haud misceri corpori, & eundem
textu proximo prædicat uerè impassibilem: quip-
pequi nec per se, nec per accidens patiatur (non sic
; de sensu) adhæc ad calcem eiusdem textus ait, eun
, dem esse separabilem inquiens: sensitiuum enim
, non est sine corpore, at intellectus ab eodē est sepa
, rabilis. dic obsecro, si separabilis admittatur, non-
ne protinus eum incorruptibilem esse consequitur?
quî fieri potest igitur, ut uigesimo textu eandē ani
mæ partem, quæ possibilis uocatur, qua sapit ani-
mus ac intelligit, corruptibilem adseueret? Ergo
per intellectum passiuum, quem esse corruptibilem
adstruit, non intellectum, quo anima opinatur ac
sapit, sed imaginationem intelligit: quæ cur intelle
ctus adpelletur, paulò supra cap. 15. 16. & 17.
rationem attulimus duplicē, cùm ex Aristotele in
Ethicis, tùm ex sancto Thoma in hoc libro de ani-
ma tertio, petitam: quam quidem imaginationem,
ab eodem Philosopho duobus alijs in locis, intelle-
ctum impropriè nuncupari, eodem huiusce libri
capite, satis superq; declarauimus.

EXPLI-

EXPLICATVR TEXTVS LIBRI secundi de Generatione animalium capite tertio, simul ac ostenditur iterum iuxta Philosophi sententiam, possibilẽ intellectum incorruptibilem esse. Cap. XIX.

SCRVTATVRVS animantium generationẽ Aristoteles in libris de generatione animalium, & in secundo libro capite tertio particulatim declarans quã fiat hominis generatio, & quo ordine ad actum, animæ facultates deducantur: de rationali potentia tandem edisserens, & quã nobis adueniat commostrans, inquit: Restat igitur, ut mens sola extrinsecus accedat, eaq; sola diuina sit, nihil.n. cum eius actione communicat actio corporalis. Qui Alexandrum Aphrodiseum insequuntur, & eius parteis tuentur, intellectum agentem esse quidem aiunt immortalem, sed tamen haud esse partem animæ rationalis, per quam homo est homo: solum uerò possibilem intellectum, existimant esse rationalem facultatem homini propriam, quo anima sapit et intelligit: hac lege tamen, ut absq; intellectu agente, possibilis recipere species intelligibiles haud possit, ac per consequens nec intelligere: porrò intellectum agentem dicunt esse quandam intelligentiam separatam: puta Deum, uel aliam, intellectum possibi-

lem huius & illius particularis hominis illuminantem: atq; hunc agentem intellectum fatentur accedere deforis, & de hoc tantùm hîc loqui Philosophū, dum ait: mens sola extrinsecus accedit, & quæ sequuntur. Atqui possibilem intellectum, aiunt, esse nostram rationalem animam & corporis speciem, minimeq; separabilem, ac per cõsequens occasui interituiq; obnoxiam haud secus, ac aliæ corporis species, quæ de potentia materiæ passim educi creduntur, ac sic Aristotelem in suam sententiam se traxisse putant. Verumenimuerò longius abesse opinionem eorum à ueritate, quàm ut ab eruditis amplecti probariq; debeat: quanquam acerrimis eandem ratiocinijs communiunt, hisce quæ sequuntur rationibus, me (Christo domino fautore) demonstraturum confido. Si Philosophus hîc per mentem extrinsecus accedentem, intelligeret intellectum agentem tãtùm, qui minimè pars sit animæ rationalis, sed substantia quædam separata, non autem intellectū possibilem: sequeretur Aristotelem tractare de generatione hominis, sicut & cæterorum animalium, & hominis eiusdem formæ seu speciei nullam facere mentionem: siquidem hoc eodem capite potissimùm inquit: Vtrum in his animantibus, quæ semen in fœminam mittunt, insit aliqua constituendi conceptus pars, scilicet formalis aut materialis. porrò dubitat in primis, postea determinat omnes animæ facultates in seminibus haberi prius potentia, demum actu,

quan-

quando ita natura comparatum sit, ut actum potentia precedat. Rursus ait conceptus uiuere prius actu uitam stirpis, dein actu post aliquot dies animam suscipere sensilem, ultimò tandem intellectualem. Itaq; quum institutum Aristotelis hîc sit docere, quo ordine deducantur ad actum animæ facultates in conceptibus animalium, & in particulari mentionem faciat generationis hominis: et loquatur de potentijs hominis, quibus animal, homo dicitur: immò de ultima uirtute intellectuali, quæ homini competit, non quatenus animal, sed quatenus homo est; sequitur eum per mentem, eam intelligere facultátem, per quam homo est homo: sed homo non est homo per intellectum agentem iuxta sententiam illorum, quũ intellectus agens, ab illis putetur esse deus uel alia quæpiam intelligentia separata: Ergo *per mentem deforis aduenientem in hominis generatione, possibilem intellectum Philosophus intellexit: siquidem homo per hunc intellectum possibilem est homo. Dij boni quæ dementia foret, si declarando generationem hominis, & quo gradatim ordine potentiæ succedunt in eius conceptione, meminisset uirtutis alicuius extrinsecæ, quæ nusquam ad hominis essentiam pertineret: omisisset autem eam facultatem, per quã precipuè proprieq́, homo & est, & dicitur homo? Præterea Philosophus hic per mentẽ intellexit eam facultatem, quæ sequitur immediatè sensualem potentiã, at cum uiuant prius uitam stirpium: ubi con-*

ceptus post uegetalem potentiam, actu quoq; susceperit sensum, proximè tandem alia interueniente facultate suscepit actu demum intellectum possibilem: siquidem hoc acquisito, homo dicitur homo, etiamsi quidquam adhuc haud intelligat. at talem hîc intelligit mentem, atq; hanc ait habere propriã operationem, & esse corruptionis expertem, intellectus igitur posibilis secundum Aristotelem est à corruptione immunis. Item Aristoteles hîc dicit, hoc eodem capite, non longè à principio, se loqui de rationali facultate, qua homo est homo: scilicet quam paulò infrà mentem adpellat extrinsecus accedentem atq; diuinã: homo uerò est homo per intellectum possibilem, ergo posibilis intellectus immortalis est iuxta sententiam Aristotelis, cuius uerba sic habent: cum nihilominus semina & conceptus animalium uiuant, quàm stirpes, et aliquãdiu prolifica sunt: ergo animam in ijs haberi uegetalem fatendum est: sed quamobrem eam primùm haberi necesse sit, ex his quæ alibi de animà disseruimus, apertum est, sensualem etiam qua animal est, tempore procedente recipi, & rationalem qua homo, certum est, non enim simul & animal fit & homo: nec animal & equus, eademq; in cæteris animalibus ratio est, finis enim postea contingit, proprium autẽ est finis cuiusq; generationis (mox subdit) quam ob rem de mente etiam quonã tempore, & quomodo, et unde eam recipiant, quæ prin

cipium

cipium id participant, plurimùm dubitatur. hactenus Aristoteles, ex quibus palàm fieri arbitror, eum per mentem extrinsecus accedentem, intelligere potentiam rationalem, qua homo est homo: in hominis generatione facultates cæteras insequentem, quam intellectum possibilem esse constat: immò totam rationalem animam, scilicet ex intellectibus duobus, agente possibiliue conflatam: homo siquidē non solùm per unā animæ rationalis portionem, sed per totam integramúe rationalis animæ facultatem est homo, nos porrò de possibili tantùm intellectu disputauimus, eum uidelicet probantes, Aristotelem uocabulo mentis indicasse. quoniam instituta nobis erat contra sectatores Alexandri disputatio, qui agentem intellectum nostræ rationalis animæ partem esse negant.

LOCVS IN ETHICIS EXPENDItur, quo probatur immortalitas intellectus iuxta Philosophi sententiam. Cap. XX.

LIBRO primo Ethicorum Philosophus ita scriptum reliquit: Quærendum ac dubitandum est, an mortui boni alicuius aut mali sint participes (paulò infra subdit) Videntur igitur res amicorum tùm secundæ tùm aduersæ non nihil ad

mortuos pertinere: sed ita & tantũ, ut neq; beátos miseros efficiant, neq; quidquam aliud tale, hæc ille. sanè frustra quæreret atq; dubitaret, an mortui, boni alicuius maliùe sint participes, ni putaret eosdem à morte adhuc esse superstites, siquidem passio quotiẽs de subiecto quopiam quæritur, necessariò supponit ipsum adesse subiectum, de quo prædicati, hoc est, passionis quæstio est. itaq; si Philosophus ambigit, num ijs, qui ex hac uita migrarunt, bonum aliquod aut malũ insit, indubiè fatetur, siue (ut rectius loquar) pro confesso subijcit, eosdem alicubi superesse simul ac uiuere, quanuis eos adpellet mortuos: quasi uelit eosdem minimè simpliciter & absolutè mortuos posse nuncupari, quin potius eos huic sæculo mortuos esse tantùm innuat, quasi uitam minimè perdiderint, sed uitæ genus uiuẽdiq; modum tantummodò mutauerint. proinde subintulit, res amicorũ cùm sæcundas, tùm prosperas non nihil ad eos pertinere: scilicet ut hisce uerbis indicaret uiuendi genus eorum, qui ex humanis discesserunt, nequaquam esse mutationibus obnoxium atq; rerum uarietati, uerùm inuariabilem immutabilemq; uitam eos nancisci, eamúe corruptionis expertem penitus. nanq; si rebus sæcundis aut aduersis amicorum, turbari possent atq; discruciari (quæ rerum humanarum est uicissitudo simul ac imperfectio) nihilo maiorem in aliena uita firmitatẽ humanus intellectus possideret, ac in præsenti: At ratio si non demonstratiua, certè Dialecti-

ca saltem atq; probabilis suadet, res amicorum & prosperas & aduersas, non nihil ad mortuos pertinere. primò dixit uidentur, non solùm humilitatis modestiæq; (quod sæpe solet) gratia, sed quia demonstratione firmari non poterat, propterea dixit hoc loco uidentur. secundò dixit non nihil, hoc est, parum ad mortuos pertinere, scilicet ut hoc ipso loquendi modo, cautè nobis indicaret fieri posse quidem (quanquam haud nobis certò constat) ut mortui negotiorum ad amicos pertinentium certiores fiant: sed tamen hac certitudine, uel hisce nuntijs eosdem, ne latum quidem (quod passim dici solet) unguem è suo dimoueri statu, uerùm immutabiles permanere: adeô non iniuria res amicorum enuntiauit ad mortuos pertinere quidem fortassis, quòd nimirum diuinitatis effecti participes cum sint, non hoc quidem sciant, illud autẽ ignorent, quemadmodũ prius, quãdo mortalis animalis exuuias gestabant: sed omnia uidelicet in primo uerisimiliter authore sic intueantur, ut etiam longè clarius eadẽ cernant ac prius cõsueuerant: ergo res amicorũ ad mortuos pertinent, quippe quorum intelligentiam nihil fugit, quosúe nihil amplius latêre potest. porrò non nihil, id est, parum ad eos spectare protulit, quòd isthæc humana, quotiens ab eorum intellectu, qui iam ex humanis abierunt, adprehenduntur, nullam iisdem mœstitiam aut uoluptatem (scilicet qualem in hoc ergastulo misero, & in hisce compedibus terrenis solebant)

adfer-

adferant amplius, quæ mutationem aut alterationem inducere queat: alioquin ad eos isthæc humana negotia, non parum (ut inquit Aristoteles) sed maximè pertinere dicerentur, propterea subintulit, res amicorum ad mortuos ita pertinere, ut neq; beatos efficiant miseros, neq; quidquam aliud tale, id est, neq; miseros efficiant beatos. ergo supponit uita functos esse beatos aut miseros, quod superfluò nimirum adseueraret, ni rationalis anima foret immortalis.

ETHICORVM LIBRI PRIMI LOcus expenditur, simul ac exploditur falsa quorundam expositio. Cap. XXI.

LIBRO Ethicorum primo Philosophus in dubium uocat, an à morte felicis hominis, infelicitas filiorum, nepotum, aut amicorum, defuncti felicitatem minuat. tandem concludit, in defunctis nihil mutari prorsus, unde colligere liceat, à morte rationalem animam superesse, alioquin uana fuerit dubitatio, ni quidpiam remaneret, de cuius detractione, uel additione boni uel mali seu felicitatis, uel infelicitatis ageretur. neotherici quidam, ut Simon Portius in libello suo de mente humana, hunc locum sic interpretatur: quia (inquit) hoc eodem capite supra, post obitum tam felicis quàm infelicis, nihil relinqui

linqui præter unam hominum opinionem atq; memoriam, in quibus tantùm restare superesséq; felicitatẽ defuncti uel infelicitatem dixerat: ob id nunc inquirit, non an mortui felicitas uel infelicitas (quippequæ re uera nihil est, atq; nusquam offenditur) minui uel augeri queat: sed potissimùm scrutatur, an mortui felicitas augeri possit aut minui, hoc est, an huic hominum opinioni, scilicet in qua uigere passim creditur isthæc defuncti felicitas aut infelicitas: uerbi gratia nepotum, aut filiorum superstitum secundæ res uel aduersæ, demant uel addant aliquid felicitati uel infelicitati defunctorum, id est, eorum famæ, quæ uidetur ad tempus in mentibus uiuorum superesse adeô, ut adhuc defuncti superuiuere quodammodo uideantur. huic obiecto iuxta Simonis interpretationem respondet Philosophus, nempe rebus cùm sæcundis, tùm aduersis filiorũ, nepotũ, uel amicorum, nihil demi nec addi defunctorũ felicitati uel infelicitati: hoc est hominũ opinioni, quam de felicitate uel infelicitate defunctorũ conceperunt, nihil omnino detrahi nec addi. quam ob rem uniuersam de felicitate uel infelicitate defunctorum sententiam, ad opinionem eorum, qui supersunt, referendam arbitratur, non autem ad aliquam defuncti portionẽ, quæ post eius obitum remanserit: quando nihil à morte, si Alexãdro Aphrodiseo eiusúe asseclis, quorum parteis manibus ac pedibus (quod dici solet) tuetur Simon Portius: cùm nihil inquam à morte

iuxta sententiam eorum, præter unum agentem intellectum supersit, quem esse Deum aut aliam quanlibet substantiam separatam, non autem animæ rationalis nostræ partem arbitrantur. Porrò similem interpretationem, quam dubio procul prauus quispiam genius seu cachodæmon inuexit, & eorum mentibus indidit, hunc in modum demolior: imprimis (quod Philosopho precipuè turpissimũ est) perfricta fronte mentiuntur, adseuerantes Aristotelem paulò supra, post obitum tam felicis quàm infelicis nihil relinqui penitus, præter unam hominum opinionem, qui supersunt inter uiuos, atq; memoriam, in quibus defuncti felicitas restet uel infelicitas sanè mendatium id cum sit apertissimum, insuper grauius est, quàm ut ab homine saltem rerum naturalium studioso, æquo animo ferri queat. nanq; ut donemus ultrò, nobis nil esse reliqui, nilúe superesse post obitum, quod sensibus nostris offeratur, præter nudam suorum facinorum atq; gestorum opinionem ac memoriam: ita non imus inficias eosdem, postquam hinc relicto putri corpore discesserint, alibi modo longè diuerso uitam traducere, perpetuò felicem aut miseram. propterea cum opinio nostra ad eorum felicitatem parum faciat, nequaquam propter eos qui supersunt, sed propter uita functos optimo iure dubitat, an amicorum, nepotum, aut precipuè filiorum aduersæ uel secundæ res, felicitatem aut miseriam: non in opinione hominum uigentem, utpote quæ nec eisdem obesse

nec

nec prodesse potest: sed ad cognitionem suam ubi morantur intellectus humani superstites, peruenientem: iure optimo inquam ambigit, num felicitas aut infelicitas uiuorum, ubi iam ad mortuorum cognitionem peruenerit, eisdem mœrorem aut lætitiam adferat, sicq; felicitatem aut infelicitatem eorum augeat uel minuat. hanc litem itaq; Philosophus adpositè dirimens inquit, rerum humanarum nouam, quæ nuper ad eos peruenerit cognitionem, eisdem alterationem haud inferre posse, quòd nimirum eorum uita nequaquam amplius mutationi uarietatiq; (quemadmodum consueuerat) & exposita sit, & obnoxia: quod uel citatus locus proximo capite, libri primi de moribus apertè declarat, ubi defunctos perpetuò miseros aut beatos esse pro confesso subijcit, quando felicitatem eorum aut infelicitatem, nec minui posse nec augeri, rebus aduersis uiuentium aut secundis, palàm testetur.

ALIVS LOCVS IN ETHICIS explicatur. Cap. XXII.

LIBRO *sexto de moribus Aristoteles, ita scriptum reliquit ad uerbum: Itaq; usu peritorum, & senum, aut prudentium pronuntiatis atq; opinionibus, quæ demonstrari non possunt, non minus quàm demonstrationibus attendendum*

atq;

atq; obtemperandum est. nam quoniam usu oculum quendam consequuti sunt, principia rerum facilè cernunt. hactenus ille, quibus suppositis ueluti basi quadam atq; fundamento, ratiocinor hunc in modum: usu periti senes, prudentes, legumlatores, adhæc omnes ferè qui floruerunt omnibus sæculis homines, si paucos excipias, placitis suis plus iusto mordicus hærentes: omnes inquã homines ferè, quò prudentiores fuerunt ac meliores, eô magis persuasum habuerunt, idúe naturæ quodam instinctu, præter longũ scilicet usum rerũ, quẽ cùm agendo tùm meditando lõga consuetudine diutinisúe laboribus consequuti sunt: persuasum inquam habuerunt, & humanum intellectum esse corruptionis expertem, & ab interitu corporis, pro uitæ genere, quod in hac mortali uita delegerit, perpetuis torqueri cruciatibus, aut felicissimam cum dijs immortalibus uiuere uitam, à cunctis pœnis immunem, illæsam, atq; liberam prorsus, et omnibus sæculis in sinu diuino, seu quod Areopagita Dionysius inquit, in caligine diuina mirificè gestientem. Porrò nimis dura mox uidetur Aristotelis oratio, nempe haud minorem adhibendam esse fidem usu peritorum & senum pronunciatis atq; prudentum opinionibus, quæ demonstrari non possunt, quàm demonstrationibus attendendum atq; obtemperãdum sit: durus inquam nimis prima fronte uidetur hic sermo, quando minimè rationi consonum sit, opinionem certitudine præferri scientiæ: ni

(quod

(quod absurdum est) scientiam eorum esse fateamur, quæ aliter ac scimus, contingere possunt. atqui (si uera tradit Philosophus) inter opinionem atq; scientiam illud discriminis intercidit, quòd hæc incerta sit, atq; uerisimilibus tantùm innitatur rationibus, illa uerò certitudinis habitũ possideat, præterea Syllogismis scientiam parturientibus fulciatur, quiquidem Syllogismi demonstrationes ab Aristotele passim nuncupantur. Verumenimuerò consyderandum, quòd Syllogismi plures instar laruæ, demonstrationis speciẽ præ se ferunt, cum alioquin sophistici potius sint, nedum probabiles: adeô ut sæpe uel eruditis imponant, quod Auerrois exemplum euidentissimè docuit: qui (quod mirabile est) in commentarijs metheororum, se demonstratione propter quid demonstrasse putat, regiones sub equinoctiali sitas, ob nimium æstum esse inhabitabiles, cum alioquin nostra tempestate sensus oppositum declaret. quam ob rem quemadmodum Syllogismi plures (quod supra Auerrois exemplo probatum est) demonstrationis speciẽ præ se ferunt, cum alioquin sophistici postmodum esse dignoscantur: ita pronuntiata quædam & opiniones senum prudentium usuq; peritorum, uim occultam, scientiæ continent, quanlibet iuuenibus incognitam, quæ demonstrationibus haud facile cedat, immò cum eis ex æquo de certitudine certent. Cæterûm inquies: cur ergo dicuntur opiniones & non scientiæ? respondeo eos habitus forsitan, haud scien

tias nuncupari, propterea quòd ex multitudine signorum coalescant, quorum per se nullum sufficiens est ad inferendam necessariò conclusionē ab eis emanantem. uerùm si plurima id genus coierint, scientiā pariunt certissimam, sed tamen eiusmodi, ut à iuuenibus quanlibet eruditis utpote rerum usu propter ætatem minimè peritis, haud esse scientiam dignoscatur: pariunt inquam similes coniecturæ, ubi plures in aceruum coierint, scientiā eiusmodi, quæ præmissas conclusionum suarum, solis usu peritis senibus notas, iuuenibus autem incognitas sortiantur, propterea quòd periti senes atq; prudentes, rerum usu longo, soli quendam oculum (ut uerbis utar Aristotelicis) consequuti sunt, quo principia rerum facilè cernunt. His itaq; citatis Philosophi locis, constare satis superúe crediderim eundem, humanum intellectum ab interitu uindicasse, quanquam haud plura alia desunt eiusdem Aristotelis loca, quibus eadem sententia firmari potest, probariq; Philosophum huius fuisse mentis. uerùm eos textus consultò prætermissimus, tùm quia facilè discerpi possunt ab aduersarijs, & in aliam trahi sententiam, tùm etiam ne nimis in immensum noster excrescat sermo, atq; hîc primi libri finis esto.

ANDREAE CAMVTII Theoricam ordinariam in Gymnasio Ticinensi publicè profitentis.

De Humano Intellectu Liber Secundus.

OSTENDITVR IVXTA PHILOSOPHI sententiam, rationalem animam præcedere generationem hominis, simul ac secũdi libri de generatione animaliũ, capitis tertij locus difficilis explicatur.

CAPVT PRIMVM.



EATVS Augustinus in Epistola ad Beatum Hieronymum de origine animæ quærit, nûm anima rationalis alicubi sit, antè quàm homo generetur, an potius in eo statim producatur instanti, quo fœtus absoluitur. Idem ferè scrutari uidetur hîc Aristoteles ita scribens: , Animam igitur uegetalem in seminibus conceptibusúe scilicet nundum separatis, haberi potentia , statuendum est, non actu: potius quàm eo modo,

quo conceptus, qui iam separantur, cibum trahãt, & officio eius animæ fungantur: principio.n.hæc omnia uitam stirpis uiuere uidentur. de anima quoque sensuali pari modo dicendum est, atq; etiam de intellectuali: oẽs enim prius haberi potentia, quàm actu necesse est, (subdit) sed antè omnes con tingere, cum antè non fuerint necesse est, aut omnes cum antè fuerint: aut partim cum antè non fuerint, partim cum antè fuerint, & contingere: aut in materia subeuntes semen maris, aut eò quidem inde uenientes: sed in mare aut omnes extrinsecus cõtingere, aut nullã, aut partim extrinsecus partim non extrinsecus, hæc ille. quæ nos clarioris doctrinæ gratia, paraphrasi utentes, hunc in modum explicamus: Quandiu conceptus delineati sunt & nundum formati, qualis ille nimirum ancillæ fuit, uxoris Hippochratis: quam scilicet prægnantem sex dierũ spacio saltare cum iussisset Hippocrates, excidit è matrice conceptus ouo persimilis: in quo delineata solùm erant cuncta corporis membra, sed tamen nundum formata: idq; Galeno relatore in libris de semine, quod ex Hippocratis libello de fœtus formatione excerpsit: Quandiu conceptus inquã delineati tantùm sunt, & nundum formati (quos Aristoteles hîc adpellat conceptus nundum separatos) sanè tûm altricem seu uegetalem animam potentia solùm in se cõtinent. Vbi uerò formati sunt (quos separatos con

ceptus

ceptus hic Aristoteles nuncupat) sanè tum actu uitam stirpis uiuunt, & in potentia sunt ad uitam sensibilem, quam non ita multò post actu consequuntur; ita tamen, ut ad intellectualē adhuc sint in potentia, quam pariter statuto tempore demum adipiscuntur actu, atq; hic tantisper immorādum: siquidem actu quidpiam adipisci, bifariam intelligitur; nempe iuxta primum actum uel secundum. actus animæ seu facultatis eius scilicet primus, est ipsa facultas animæ uel anima ipsa, actus uerò secundus est, ipsa animæ seu facultatis eiusdem operatio: puta dormiens habet actum proprium, quoniam actu continet animam in se ipso: quanquam haud possidet actum secundum, qui est ipsum opus: semen autem uirile uel sanguis menstruus, neq; primum neq; secundum habent, sed ad utrunq; sunt in potentia, Aristoteles porrò dicens conceptus nundum separatos, hoc est, nundum formatos, sed adhuc uix delineatos, aut fortassis etiam nundum delineatos: esse in potentia ad uegetalem animām, intelligit eosdem esse potentia ad actum utrunq;, uidelicet primum atq; secundum: deinde cum formati fuerint atq; separati, tum habent animam uegetalem actu, scilicet primo, Philosophus autem hic primum actum expressis per secundum inquiens: conceptus qui iam separantur, id est, cum utcunq; formati sunt, cibum trahunt, & officio eius animæ funguntur, quoniam potentiæ uegetalis actus primus, nusquam offenditur absq; secū

do: cum altrix seu uegetalis anima semper operetur, quod haud æquè patet de cæteris facultatibus, nempe sensibili & intellectuali: quanquam secundo libro de motu musculorum, magnus Galenus omneis animæ facultates operari necessariò semper adseuerat, idue contra omnes ad unum Aristotelis interpretes, eundem librum de anima secundum explicantes. Eadem inquit ratione fœtus seu conceptus ijdem, in potentia prius habent animam sensualem: in potentia inquam ad actum utrunq;, & ex potentia tali deducuntur ad actum primum, ac tunc habẽt in actu scilicet primo sensualem potentiam, & in potentia sunt ad actum utrunq; facultatis intellectualis, Vbi uerò numeris oĩbus absolutus fuerit cõceptus, mehercle tûm intelletualẽ animam habet actu, scilicet primo: non tamen secundo, nisi post menses plures & annos, unde nemo iure dixerit, fœtum nuper natum atq; perfectum, & infantulum uagientem, haud habere facultatem intellectualem actu: quia licet operari nequeat, & actum secundum exercere, idq; ob instrumentorum defectum: tamen actum habet primum, hoc, est, animam ipsam intellectualem haud secus ac dormiens, qui actu possidet intellectum, quanquam actu non intelligit.

RA-

RATIONALEM FACVLTATEM *præcedere conceptus generationem, clarius ex Philosophi uerbis colligitur. Cap. II.*

ITAQVE ut ad id redeamus, unde digressi fueramus, & paraphrasim nostram in adductum Aristotelis textum absoluamus: quum hactenus abundè docuerimus, animæ facultates quaslibet haberi prius in conceptibus potentia, quàm actu: maior nunc oritur quæstio, uidelicet nunquid omnes animæ facultates adueniant fœtui statim formato (uel in ipsa formatione nil refert) ita ut eædem illæ facultates animæ omnes haud alicubi fuerint, nec formationem conceptus præcesserint: sed illico emerserint, & tûm primùm esse cœperint: an eædem animæ facultates omnes in natura rerum essent, antèquàm & conceptus formaretur, & eiusdem conceptus materia seminalis menstruiq; foret genita: aut potius ita dicendum sit, scilicet: non omnes, sed quasdam animæ potentias semina conceptusúe præcedere, quasdam autem unâ cum ipso uel in ipso conceptu oriri ac pullulare, & conceptui contingere: Verumenimuerò quæ facultates animæ, conceptus ac eorum semina præcedant, & extrinsecus accedãt conceptui, Philosophus hisce uerbis declarat inquiens: Cæterùm omnes antè esse impossibile, rationibus his ostenditur: Quorum enim principiorum

, *actio est corporalis, hæc sine corpore inesse non , posse certum est : uerbi gratia, ambulare sine pe- , dibus. Itaq; extrinsecus ea uenire impossibile est. , nec enim ipsa per se accedere possunt, cum insepa- , rabilia sint, neq; cum corpore : semen enim excre- , mentum alimenti mutati est, (mox subdit) Re- , stat igitur, ut mens sola extrinsecus accedat, eaq; , sola diuina sit, nihil enim cum eius actione commu , nicat actio corporalis. Porrò seriem uerborũ Aristotelis hactenus explicuimus, ut euidenter cuiuis pateat ac manifestum euadat, Philosophum hoc capite per mentem extrinsecus accedentem, haud potuisse quidquam aliud intelligere, quàm rationalem animam : scilicet per quàm homo & est, ac dicitur homo, quidquid comminiscantur ij, qui iurarunt in Alexandri uerba. Itaq; ex superioribus indubiè satis constare arbitror, Aristotelem hîc explicare generationem hominis, ac edocere, quo ordine facultates animæ, ad hominis substantiam constituendam necessariò succedant. præterea patet ex uerbis Philosophi citatis intellectũ (de quo hîc edisserit) inesse conceptui primùm in potentia, secundariò autem in actu, primo, deniq; tandem transire ad actum secundum : scilicet ubi disposita fuerint examussim organa corporis, præcipuè cerebri præ cæteris, intelligibilibus uidelicet seruientis idolis seu speciebus, adeô constat intellectum, hoc est, animam rationalem, fætu numeris omni-*

bus

bus absoluto atq; in lucem ædito, tanquam actum primum inesse, ac per consequens humanam mentẽ (quam hoc eodem capite supra citato) modò poten tiam intellectualem, modò rationalem adpellat: iuxta Philosophi mentem esse speciem ac formam ho minis, quanlibet extrinsecus accedentem & immor talem: quanquam haud inficias imus, eandem hominis esse formam, modo longè diuerso, quàm species corporum corruptibiles, eductæ (quod dici solet) de potentia materiæ. Verùm ex iisdem citatis Philosophi uerbis unâ colligitur, Aristotelem haud existimare tûm primùm, animam rationalẽ incipere atq; oriri, dum semina uel conceptus gignuntur: quin po tius eandem isthæc omnia corruptibilia præcedere, quod fortassis Auerroo (quemadmodum infra latius ostendemus) occasionem præstitit fingẽdi, unam in omnibus rationalem ánimam siue unum intellectum.

QVI PHANTASMATVM INDIgentia non impediat, quò minus intelligere sit animæ rationalis opus proprium. Cap. III.

NVNC tempestiuum uidetur amouere dubitationem quandam, quæ non mediocrem instituto nostro noxam inferre uidetur, ait

, *Philosophus: Quorum principiorum, actio corpo-, ralis est, ea sine corpore nusquam consistere que-, ant. quare non extrinsecus accedere seu continge re, & per consequens nec immortalia eadem esse possint, cum inseparabilia sint huiusmodi, at quorum actio minimè corporalis est, hæc absq; corpore esse, & extrinsecus accedere possunt per se, ac per consequens incorruptibilia sunt. si intellectus humanus qui hominis & perfectio est & actus primus (iuxta Philosophi sententiam hoc capite) est eiusmodi, sequitur igitur eundem incorruptibilem & esse, & per se conceptibus adamussim absolutis accedere, cum antè conceptus sit, & eorum simul ac eorundem seminum generationem præcedat, atq; hæc Aristotelis positio est, pariter ac eiusdē theorematis seu placiti probatio. Verùm isthæc è uestigio uidentur ijs opponi, quæ tertio de anima libro declarata sunt, ubi nihil absq; phantasmatibus intellectū intelligere docet. Quocirca quū id opus uerè proprium alicuius dicatur, quod ab eo uel absq; suffragijs extrinsecis obiri potest, quî mentis humanæ fuerit opus aliquod propriū, quū illud idem (uelis nobis) à uirtute corporea quoq; proficiscatur? cur itaq; Philosophus actionem intellectus corporalem esse negat, quum eandem alibi prorsus à corpore pendere fateatur? si hanc intellectus ædere atq; obire nequit, ni corporea uirtus ei suppetias ferat et adminiculetur, cur amabô corporalis*

poralis actio non fuerit? sanè dixerim hoc in negotio, nequaquam ita corporalem actionem accipi posse (quemadmodum suppositum est) ab Aristotele, uidelicet ut ea plane corporalis actio dicatnr, quæ modo quouis indiget corpore, & absq; uirtute corporea præcedente fieri nequit: quandoquidem hoc pacto uel ipsum intelligere, quod esse creditur hominis proprium opus, haud foret eiusdem actio propria, quum necessariò præsupponat phantasmata, quæ nimirum intellectus agentis beneficio uniuersam adamussim exuunt materiem, & species euadunt immateriales simul & intelligibiles: ac sic profectò Philosophus inconstans uidebitur, & pugnantia ex diametro censebitur enuntiasse. ratio sanè difficilis est, & adhuc à nemine (quod sciam) ad uiuum explicata. Verùm mea quidem sententia proprium opus iure dixeris, quod in ipso actu operandi haud quaquam externis eget auxilijs: quanquam antè quàm illud ædat, præire quædam omnino sit necessarium, quæ penitus ab alienis uiribus atq; suffragijs originem traxerint: exempli gratia, uidere tangere, audire, & in summa quouis modo sentire: si eo ipso tẽpore, quo sentire sit, anima sensualis corpore non uteretur, proprium esset opus animæ sensualis, quum alioquin hoc ipsum opus, ni uirtus altrix seu uegetalis præcedat ac opituletur, minimè fieri queat: unde sentientia quæuis necessariò prius uegetant, hoc est, nutriuntur perpetuò singulisq; momentis, quam nutritionem rursus

actio præcedit, hoc est, ad nutritionẽ, materiæ præparatio. præterea temporibus à materia præscriptis augentur, ac sæpenumerò generant: adeô uegetalis potẽtia nutriendo membrorum temperiem adseruat, quam alioquin generàtioni prius acceptam, sentientia corpora referunt: sine qua temperie scilicet exacta, uniq; sensui congrua, sentiendi uis euanescit & interit; neq; tamen supposito, quòd eo tempore quo sensatio fit, quòd sensualis uis corpore non utatur, iure dicères sentire non esse proprium opus animæ sensualis. quam ob rem ut rei cuiuspiam actio propria censeri debeat, abundè suffitiat, si uidelicet in ipso operandi actu suffragijs haud egeat alienis: sed res ipsa quæ operatur, per se uires suas exerat, nullo penitus scilicet alterius generis suppetias ferente. proinde si fieri posset, ut uegetalis facultas tantisper immota subsisteret, & quauis actione destitueretur, aut saltem (quod aliquando contingit in morbis) parum ageret eo tempore, & interea nihilosecius sensualis facultas probè suo munere fungeretur: idúe suapte natura uel alienis subsidijs destituta, nec uteretur penitus opera corporis, scilicet eo ipso saltem, quo operatur tempore: mehercules illud ipsum opus, proprium optimo iure sensualis animæ censeri deberet. ita mediusfidius de rationali anima intellectuq; dicendum arbitror, is etenim phantasmata requirit, atq; popo scit tanquam materiam, ex qua trahi species debeant intelligibiles: sed tamen ubi semel agens

intelli-

intellectus, eadem phantasmata condictionibus materiæ penitus spoliauerit (quæ sua est uis atq; potentia) tùm primùm incipit opus intelligendi: nempe dum eas species ab agente intellectu factas intelligibiles, utpote materiæ condictionum expertes, intellectus possibilis recipit: (quippequæ iam suæ naturæ quadantenus euaserunt similes) ac simul recipiendo diudicat, quæ quidẽ actio nil aliud planè fuerit, quàm intelligere: neq; enim ipsum intelligere fit, quum agens intellectus sua uirtute, diuini luminis instar, à phantásmatibus materiæ fecem abradit, ac tenebras arcet, excludit, atq; exterminat: quin potius eo ipso tempore fit ipsum intelligere, quo scilicet intellectus possibilis, species ipsas immateriales atq; intelligibiles, & suscipit, et cernit, ac uelut intuetur: atq; hoc in ipso opere quod intelligere uocitatur, minimè suffragijs utitur alienis, at suapte natura solus id molitur & agit. propterea quum anima rationalis talia per seipsam ædat promatq; opera, & eiusdem dubio procul actiones fuerint, & propriæ, siue opera propria: quò fit, ut à corpore separari queat, ubi semel corpori fuerit copulata, adhæc prius quàm adnectatur corpori, cum antè corpus ipsum sit: per se, hoc est, suapte natura, suisq; uiribus corpori potest accedere extrinsecus: porrò uirtutes siue facultates animæ, quæ corpori contingunt (ut Philosophi uerbis utar) cum antè non fuerint: hæ sicut antè corpus haud fuerant, nec ob id extrinsecus accedere

conce-

conceptui nequiuerunt, quòd à corpore sint inseparabiles: ob eandem rationem, neq; post interitum occasumúe corporis superesse possunt, adeò non solùm aliarum animæ facultatum actiones, ut suæ facultates præcedant necessariò postulant, sed & in ipsis functionibus suis, eædem facultates alienis egent suffragijs: quò fit, ut suæ actiones propriæ facultatum earum minime sint: nempe uegetalis atq; sensualis, sed eidem & corpori communes, quādo uel eo ipso tempore quo agunt atq; operantur, organo cogantur uti corporeo, exempli gratia: sentire nequeas, siue is sensus interior sit seu exterior, ni præsto tibi fuerit organum, quo in ea utaris functione: similiter nec ali nec augeri possis absq; corpore, multò minus gignere. Cæterùm neq; mouere sine organo, puta sine cruribus ambulare; intelligere tamen, uel absq; phantasmatibus liceat idq; nō absolutè quidē atq; simpliciter, quandoquidē actū intelligendi (quod supradictū est) phātasmata necessariò præcedunt: sed eo ipso tempore, quo quis intelligit, hoc est, in ipsa functione siue intelligendi actu, rationalis facultas nec organo corporeo, neq; phantasmatibus indiget. porrò germanā hanc Aristotelis hoc loco fuisse sentētiam, quam hîc retulimus, uel Aristoteles ipse citato capite testatur inquiens:
, Quorum enim principiorum actio est corporalis,
, hæc sine corpore inesse non posse certum est, uerbi
, gratia: ambulare sine pedibus. itaq; extrinsecus

ea ue-

, *ea uenire impossibile est: nec enim ipsa per se accedere possunt, cum inseparabilia sint, neq; cum corpore, semen enim excrementum alimenti mutati est, hoc ille. ex quibus manifestò liquet, eum actionem intelligere corporalem, qualem ad uiuum depinximus, quam ob rem Philosophus extemplò subintulit: Restat igitur ut mens sola extrinsecus accedat, eaq; sola diuina sit, nihil enim cũ eius actione communicat actio corporalis, perinde ac si ita loqueretur: Quanuis utatur opera phãtasmatum ipsum intelligere, antè quàm fiat: tamen quoniam ipsa intelligendi actio dum fit, nec corpore nec corporeæ uirtutis utitur opera, quinimmò per se solus intellectus actionem hanc promit: idcirco minimè corporalis operatio uenit adpellanda, sed intellectus utiq; proprium opus cẽseri debet: quò fit, ut antè conceptum atq; semina, rationalem animã adesse omnino iudicandũ sit, & extrinsecus eidem conceptui ipsam accedere per se, cum separabilis sit per propriam naturam, sicq; à corruptione corporis immunem superstitemúe permanere.*

EX SVPERIORIBVS ERRATVM Sancti Thomæ detegitur. Cap. IIII.

SANCTVS Thomas rectè quidem ait, necessariam obiecti dependētiam, minimè dum intelligimus impedire, quò minus intelligere proprium animæ rationalis opus sit: uerùm abundè sufficere, quòd organo dum intelligit animus, haud utatur corporeò: proinde quanuis intelligentia necessariò requirat phantasmata, quia tamen eis indiget tanquàm obiecto, neq; dum fit, ullatenus organo corporis utitur; idcirco propriam opus animæ rationalis ipsum utiq; fuerit intelligere. Quorsū hæc? rectè quidem hîc sanctus Thomas adseuerat, solam obiecti dependentiam impedire non posse, quin opus aliquod dicatur esse proprium: Verùm si huic dependentiæ perseuerantia accedat, necessariò (quod minimè sanctus Thomas aduertisse uidetur) proprium eius facultatis minimè fuerit opus, exempli gratia: si phātasmatum opera non solùm indigeat intellectus antè quàm intelligat, uerùm etiam eorundem præsentiam necessariò requirat, uel eo ipso tempore, quo actu intelligit: sanè tûm mea quidem sententia (quicquid hoc loco comminiscatur sanctus Thomas) intelligere nequaquam opus animæ rationalis proprium fuerit, quanuis nullo prorsus utatur organo corporeo: siquidem illud uerè proprieq; dicitur esse rei cuiuspiam

piam opus proprium, quod ab eadem uel absq; suffragijs alienis obiri potest. Quam ob rem opera phãtasmatum egemus quidem antè quàm intelligamus, uelut obiecto scilicet, unde suffragijs intellectus agentis elici queant species intelligibiles: at ubi species eædẽ inde fuerint eductæ, simul ac in intellectu possibili iam actu recipiuntur, quo tempore nimirum ipsum sit intelligere, seu ipsa (ut ita loquar) intellectio: eo ipso inquam tempore (quod supra libro primo, dum caput tertium secundi libri de generatione animaliũ explicaremus, fusè satis ostendimus) haud amplius opera phantasmatum egèt intellectus: quò fit, ut iure tunc ipsum intelligere proprium opus animæ rationalis dici queat: adeô non sufficit in operando, ut opus propriũ esse dicatur, organi corporis absentia: quinetiam oportet, ut eo tempore saltem, quo ipsa promitur operatio rationalis animæ propria, ut à nullo corporis obiecto nullaq; uirtute corporea, tanquam ab obiecto pendeat: alioquin euitare nequeas, quin opus istud, quod est intelligere, prorsus non dicatur esse corporeum. At inquies: si semel istud admittamus, omnino sequitur, exteriores sensus haud habere proprium opus, quando non nisi præsentibus obiectis obire munia sua consueuerint. Verumenimuerò sensuum exteriorum organa, quanquam specie dinstinguntur à proprijs eorum obiectis, genere tamen conueniunt, quum utrunq; sensibile corpus sit: præterea quatenus obiecta sentiri possunt, eatenus

quoq;

quoq; cum sensuum organis, quorum obiecta sunt, similem habere tẽperiem, similiaq; possident acciden tia, uerbi gratia: uisus organum quanuis diuersam à pariete, qui cernitur, temperiem sortiatur: tamen ea portio parietis exterior colorata, quippe quæ lucis est particeps, quæ solaris luminis ope interuentuq; speciẽ in aere multiplicat: ea pars inquam utpote lu cida, oculo qui uisus est organum, cùm accidentibus tùm essentia similis esse deprehenditur. Itaq; obiecti dependentia, quum organo simile sit obiectũ etiã sub stantia; nequaquam impedit fortassis, quò minus ui sio dicatur esse proprium opus oculi. Cæterùm phan tasmata utpote corporea, quum ab intellectu non solùm genere, uerùm etiam plus quàm genere differãt: uetare queant optimo iure, quò minus intelligere, propria sit intellectus operatio, idq; si semel admitta tur, illud ipsum intelligere, uel eo ipso tempore, quo ipsa fit intelligentia, poposcere necessariò phantasmãtũ præsentiam. Id sanè uel ex Philosophi uerbis luce meridiana clarius elici potest, inquit.n. ad-
, uerbum: Est etiam de affectibus animæ dubitatio,
, utrum omnes communes sint cum eo, quod habet
, animam: an sit ipsius animæ proprius aliquis: hoc
, enim ipsum accipere quidem necessarium est, non
, tamen accipi facilè potest. Atq; plurimi sunt, quorum sine corpore nullum aut agere aut pati uidetur, ut irasci, confidere, cupere, omnino sentire, maxime autẽ ipsum intelligere proprio simile est: quod

si hoc

si hoc etiam imaginatio sit quædam, aut sine imaginatione nō sit, nec istud esse sine corpore potest. Ex hisce uerbis planè constat, si intelligere fieri nequit absq; corpore, quòd opus animæ proprium omnino dici non possit: adeô proprium opus animæ rationalis adfirmare uidetur illud esse propriè, quod sine corpore fieri potest, proinde testatur ipsum intelligere, uel hoc supposito, quod imaginatio non sit, modò saltem absq; imaginatione fieri nequeat: docet inquam hoc casu ipsum intelligere nequaquam esse posse proprium opus intellectus humani, idúe potissimùm hac ratione, quod absq; corporis opera fieri nequeat, quod uel eiusdem Philosophi uerba, quæ sequuntur, clarius indicant, inquit , enim: Si igitur operationū animæ uel affectuum , aliquis proprius sit ipsius, fieri potest, ut ipsa anima separetur: sin uero nullus sit eius proprius, nō , separabilis est, sed est de ipsa perinde atq; de recto, , cui multa quidem ut rectum est competunt, ueluti , puncto pilam æneam tangere, non tamen ipsum , unquam separatum tanget, est enim inseparabile, , quippe cum semper aliquo modo cum corpore sit. , Videntur & omnes affectus animæ cum corpore , esse: ira, mansuetudo, timor, misericordia, confi-, dentia, gaudium, odium deniq; atq; amor: nā unâ , cum his ipsum corpus aliquid patitur. Hæc Philosophus. Si timor, ira, gaudium, confidentia, odiū atq; alia id genus, idcirco propria potētiæ rationa

lis opera dici nequeunt, quòd unâ cum iisdem ipsum corpus aliquid patiatur, hoc est, quod unâ cum rationali facultate, corporea quoq; uirtus concurrat: quî obsecro fuerit eiusdem intellectus humani proprium opus intelligere, quum ad illud idem opus edendum, necessariô concurrant phantasmata? Si dixeris in cæteris animæ facultatibus, unâ cum potẽtijs in obeundis munijs concurrere corpus uelut efficientem causam aut organum: in intelligendo autem phantasmata concurrere solùm tanquã obiectum: sanè respondebo (quod Galenus contendit) in intelligendo cerebrũ concurrere, tãquam organũ haud dissimili ratione, quàm quãdo sensibus deseruit interioribus. præterea supposito quòd intellectus humanus haud utatur corpore tanquam organo (quod alioquin minimè probauit Aristoteles, sed tantùm adseuerauit) nihilominus idem Philosophus haud patitur, opus intellectus adpellari proprium, si per se suapteq; natura seclusis corporeæ molis suffragijs (quomodocunq; concurrat) idem intellectus intelligere nequeat. Ergo perperam meo quidem iudicio sanctus Thomas (quem alioquin summè ueneror, ac Aristotelis interpretum nemini secundum esse reor) ait obiecti corporei dependentiam haud uetare, quò minus intelligere proprium opus animæ rationalis, iuxta Philosophi sententiam adpellari queat.

PRO-

PROBATVR INTELLECTVM obiecti præsentiã, minimè dũ intelligit popоſcere, ſimul ac adſignatur ratio difficilis, cur exteriores ſenſus certius cognoſcant, quàm interiores, ad hæc quam intellectus. Cap. V.

ITEM ea eſt proportio ſpecierum intelligibiliũ ad intellectum, quæ eſt ſpecierum ſenſibiliũ ad ſenſus interiores: At ſenſus communis, imaginatio, cogitatio, & memoria, quæ ſenſus ſunt interiores, cognoſcere poſſunt uel abſentibus, qui cognoſcuntur obiectis: cum ijs abundè ſufficiat ad cognoſcendum, ſola ſpecierum propriarum, quæ recipiuntur, ſimul ac iudicantur præſentia (quanquam eadem obiecta ſi abſint, dignoſci nequeunt à ſenſibus exterioribus) ergo multò magis intellectus, etiam abſentibus obiectis, ſcilicet immediatis atq; proprijs, quæ phantaſmata ſunt, intelligit: alioquin interiorum ſenſuum actus cognoſcendi, præſtantior intelligentia foret: ſiquidem cognoſcendi modus eô dignior eſt, quò magis abſtrahit ac minus obiecto proprio indiget. At quum modus cognoſcendi ſenſuum interiorum præſtantior ſit eo, qui eſt exteriorum ſenſuũ, propterea quòd purior ſit: quia magis à materiæ conditionibus abſtrahit, ac per conſequens eadem ratione præſtantior longè ſit: profectò cognoſcendi mo

dus intellectus, quum adhuc multò magis abſtrahat, ac per conſequens ſyncerior euadat eiuſdem cognitio: quî fit obſecro, ut ſenſuum exteriorum cognitio longè certior ſit, non ſolùm interiorum ſenſuum cognitione, uerùm etiam intelligentia? mehercules hic nodus, ut hactenus à nemine (quod ſciam) fuit in medium adductus, ita non potuit ab aliquo ſolui, quandoquidem rei difficilis intelligentiam, primùm admiratio ſimul ac hæſitatio, dein quæſtio ſecundum naturam intellectus præcedere conſueuit. Quicquid agnoſcitur eô facilius percipitur, quò uicinius atq; proximius eſt uirtuti cognoſcendi, modò nil deſit eorum, quæ ad eam cognitionem requiruntur, exempli gratiá: certius obiecta propinqua cernit oculus, quàm remota, modò prcpinquitas non impediat lucis interuentum, cuius præſentiam neceſſariò uiſus popoſcit: Atqui ſenſuum interiorum cognitio magis diſtat à re ſenſibili quàm exteriores ſenſus, quare nemini mirum uidere debeat, res ſenſiles clarius atq; certius ab exterioribus iiſdem ſenſibus agnoſci: ſiquidem ab obiecto recens deciſa ſpecies, corpori ſenſili multò ſimilior eſt, quàm quando defertur ad ſenſum communem: dein ſpecies eadem dum à ſenſu communi migrat ad imaginationem, dein ad cogitationem ſucceſſiuè, tandem ad memoriam: mehercle quò longius iter peragit, eô diminutum iri corporis ſimilitudinem, quam eiuſdem corporis ſpecies ſecum tulit (immò ſpecies ipſa nil aliud eſt quàm corporis

ſimi-

ſimilitudo) naturalis ratio dictat. Cæterùm intellectus, utpote facultas in homine cognoſcentium ultima, neceſſariò (quod euentus declarat) obſcurè cognoſcit, ratione licet modi cognoſcendi (quod ſuprà dictum eſt) cognitio ſua ſit præſtantior. Verùm enimuerò rationi conſonum eſt, intellectum à corpore tandem actu ſeparatum, uel ipſa ſenſibilia longè certius clariusúe cognoſcere, quàm ipſe ſenſus exterior, ſiquidem proximè tûm rei nullius interuentu res eaſdem ſenſiles, in prima cauſa quodam eminentiori modo contentas, ac intelligentijs à materia ſeparatis expoſitas atq; patentes intuetur. Aliam fortaſſis hoc loco rationem comminiſci liceat, nempe in cognitione ſenſuum exteriorum cauſanda, requiri neceſſariò ſenſibilis præſentiam: non primariò quidem ac per ſe, ſed per accidens atq; ſecundariò, propterea quòd ſpecies ſenſibilis ab obiecto deciſa ſeruari nequit incolumis in aere, quemadmodum in cerebro; quoniam ſubſtantiæ cerebri fixa permanet hæ retúe tenacius, in aere uerò mox euaneſcit. proinde rei ſenſibilis, præſentia per ſucceſſiuam atq; cõtinuã eiuſdem ſpeciei multiplicationem inſtaurat, quòd continuò perit. Cæterûm intelligibiles ſpecies probabile eſt, intellectui non minus hærere, quàm mollibus cerebri partibus, ipſas ſenſibilium corporum & accidentium imagines atq; ſpecies: quò fit, ut quemadmodum cognitio ſenſuum interiorum minimè requirit præſentiam rei ſenſibilis exterioris, ſed ei ſuf-

ficit abundè solùm rei sensibilis præsens idolum : ita nimirum in intelligẽtia satis superq; fuerit forsitan, adesse speciem intelligibilem infixam intellectui possibli, uel absente quolibet phantasmate. Cæterùm si obieceris intelligentiam uel eo tempore, quo fit ipsum intelligere, phantasmatũ requirere præsentiam scilicet hoc argumento, quòd læso cerebro pereat omnis intelligentia, uidelicet si læsio sit effatu digna: si istud inquam obieceris, respondebo non semper id cõtingere, quandoquidem experientia constet, læsis omnibus non solùm exterioribus, uerùm etiam interioribus sensibus adeô, ut nec memorari queant alicuius exterioris rei, nec imaginari, multò minus cogitare: hoc casu constat inquam aliquando, mentem ab intelligentia nobis aliâs incognita uexari, idúe ratiocinijs difficilimis, & cum eadem acutissimè disputando congredi idq; adeô, ut nihil in sanitate uel tota uita moliri possit quispiã attentius, quũ interim de cæteris, quæ sensibus occurrebant prius, omnia perperã enuntiemus, si hoc ipsum de me uel in extremo mortis articulo præcipuè quùm à Frãcisco parente meo magni nominis medico, derelictus essẽ tanquã deploratus solo prognostico: si hoc ipsũ inquã testatus fuero, ut uera me fateri certò sciã, ita suspectus forsitan in causa propria uidear : at quũ tot insignes eruditiq; uiri fateãtur illud idem, quod hystoriæ, præter uetium testimonia propemodũ infinita, passim testãtur, cur eorũ sẽsibus fides abrogãda sit, haut uideo.

EXPEN-

EXPENDVNTVR EA VERBA Philosophi uenire extrinsecus, uel accedere, & contingere. Cap. VI.

ARISTOTELI iure maximo uerti uitio, possit, quòd sicubi præceptorem suũ Platonem hallucinari deprehendat, uel palàm eius nomen simul ac erratum prodit, nedum subticet atq; tegit, ac nomini parcit: adhæc quod grauius est, & ingrati hominis manifestum est argumentum, ali quotiens uerborum intelligentiam inuertit, quò faciliorem simul ac crebiorem ansam arripiat calumniandi, tantùm abest, ut eum excuset, & ad bonum sensum trahat: quod alioquin hominis grati munus foret, ac Philosopho precipuè dignum tanto, quod in Ethicis adparet, ubi Platonem de Ideis differentem accusat, idq̃ue pietatis ac ueritatis falso prætextu, (quæ maxima est Hyppocrisis) inquiẽs: Amicus, Socrates, amicus Plato, sed tamẽ magis amica ueritas. porrò si quispiam experiri uelit, quàm impiè præterq̃ue rationem eo loco Platoni sit infestus, & quàm falsò eum redarguat, Eustratium perlegat, eum locum explicantem. Nonnunquam autẽ Aristoteles siquid Platone dignum offendat, & excellẽs illud idem profert, atq; in medium adducit: sed ità tamen, ut eius nomen consultò supprimat atq; subticeat, quasi uelit author eius rei uideri: quod eundẽ

hic fecisse, paucis monstrabo: adeò sæpe mutatis uocibus illud idem effert, scilicet ut aliud quiduis enuntiasse uideatur. A Platone præceptore didicerat aliâs Aristoteles, nempe separatas intelligentias à materia quamlibet immunes, esse cõpositas, non quidem ex partibus quantis atq; materialibus, uerùm ex partibus rationalibus pariter ac immaterialibus: siquidem (eodem adsertore) quanuis corruptibile quoduis, cõpositum sit: nequaquã tamen retro commeat atq; reciprocatur enuntiatio, ut compositum quodlibet corruptibile sit: quando cõpositum duplex offendatur, dissolubile uidelicet & indissolubile: porrò nuncupat adgregatum dissolubile, quod ex partibus materialibus & elementaribus conflatum est: Alia uerò fatetur esse quidem composita sed tamen indissolubiliter: quippe quæ constãt ex partibus cùm rationalibus tùm incorruptibilibus, Etenim solum Deum carere partibus adseuerat, & actum simplicissimum ab omni prorsus immunem potentia, quod uel Theologi non eunt infitias. accedit quòd anima rationalis iuxta Platonis decreta, quum infima sit rerum incorruptibilium, ac media quodammodo corruptibiles inter substantias et incorporeas, longè magis composita deprehẽditur, ac cæteræ superiores intelligentiæ: quod nimirum Aristoteles (ut consueuit) clam suffuratus est, ac mutata loquẽdi phrasi, mutatisq; uocabulis, ne furtum proderet atq; detegeret, enuntiauit inesse rationali facultati quidpiã,

quod

quod materiæ uices gerit: hanc partem intellectum possibilem uocitāt, quam materiæ primæ comparat, adeô ut eandem affabrè nullam aliam habere naturam adstruat, præter hanc unam scilicet, quòd est in potentia. partem alterā animæ rationalis, quæ speciei uices gerit & efficientem refert, agentem intellectum adpellat. Illud idem Plato docuit inquiens: intellectum humanum bifariam secari: nempe in mentem & animam. mentem utpotè præstantiorem nostræ rationalis facultatis partem Aristoteles scilicet ne quispiam ei fortassis ingratitudinis notam inureret, quòd pulcherrimos præceptoris fœtus occultaret, sibiq; ipsi adpositè adscriberet tanquā suum nudiustertius inuentum: mentem inquam mutato nomine, nuncupat intellectum agentem. Præterea sicut Plato dicit mentem siue intellectum agentem esse stabilē, & semper in actu, adhæc in instanti intelligentē (instar oculi) primas propositiones ac prima principia, præterea nunquā à superioribus abscedentem: ita nimirū Aristoteles ait, eum depurare phantasmata, & potentia species intelligibiles, actu intelligibiles efficere. Itē sicut Plato mētem ait esse statum, identitatem, & essentiam: nunquam autē patitur eandem alteritatē adpellari, nec motū ea ratione, qua methaphoricè uidelicet motus in incorporeis fingi potest: quando consueuerit efferre Plato, substantias separatas (quas partim mentes partim animas uocitat) ex quinque partibus in genere consti-

constitutas: nempe ex essentia, eodem, altero, statu, & motu: sicut inquam Plato mentem ait essentiã, identitatem, ac statum esse: ità mutatis nominibus, Aristoteles ait intellectum agentem uerè tantùm esse, & substantia actum. Rursus Plato materialem atq; uiliorem facultatis rationalis partem, animam adpellauit, ut eam hoc uocabulo seiungeret à mẽte: hanc inquam Plato dicit alteritatem ac motum esse: quòd nimirum ut formetur, & actus euadat, perpetuis discursibus agitetur & fluctuet. ita mediusfidius Aristoteles hanc eandem partem, animam à Platone uocatam: intellectum possibilem nuncupat, ac dicit eum, esse quidem separabilem, immixtum, incorporeum, & impassibilem, sicut & agens intellectus, sed tamen haud esse actu ens, seu substantiam actu sicut dicebat de mente: hoc est, de intellectu agente, quin potius adseuerat animam, hoc est, intellectum possibilem, actu nihil esse, antè quàm intelligat, nec aliam esse naturam eius præter hanc, quòd est in potentia. Idcirco enim ea pars facultatis rationalis, scilicet materialis (quæ à Platone anima, ab Aristotele autem possibilis intellectus dicitur) alteritas nuncupatur ac motus à Platone, quia perpetuò discursibus fatigatur, ut recipiat, ac formetur speciebus intelligibilibus, cum sit pura potentia. Rãtionalis itaq; facultas ex partibus rationalibus affabrè composita, scilicet indissolubiliter (quæ omnia per clam ut dictum est, à Platone suffuratus est Ari-

stote-

stoteles) quum cæteris incorruptibilibus & incorporeis collata, uilior sit ijsdem, atq; magis composita: quippequæ inter incorporea, maximè remota censetur ab actu illo oĩum simplicissimo, cõpositionis cuius libet adamussim experte: Rationalis inquã facultas utpote uilior inter incorporeas substãtias suopte ingenio, suapteq; natura uergit (iuxta Platonis sententiã) ad ea, quæ sunt omnino cõposita, hoc est, materialia, quòd nimirũ similitudo causa sit amoris: immortales porrò substantiæ quanuis essentia differant à corruptibilibus plusquam genere (quod in sua, quam magno iudicio edidit magnus Auerrois in Porphyriorum paraphrasi adnotauit) tamen in adpendicibus nonnullis naturam suam insequentibus, similes esse possunt corrurtibilibus substantijs: quomodo dicit Aristoteles in Physicis, uidelicet entia quælibet etiã corruptibilia adsimilari cupere primo enti: idq; non simpliciter (quòd impossibile sit) sed cũ hac adpendice, quatenus sua ipsorũ natura patitur. Quo circa si prima causa primusq; actus omnino simplicissimus, immò solus simplicissimus, similis quadanteuus esse corruptibilibus deprehenditur: quantò magis intellectum humanum, inferioribus similem esse putandum est! quam ob rem hic similimus cum sit hisce corruptibilibus, scilicet ea similitudine, quæ inter corruptibilia atq; incorruptibilia potest contingere: delectatur hisce corruptibilibus, ac suapte natura propensus ad ea fertur haud secus, ac grauia deorsum

sum

ſum et leuia ſurſum, ſanè quemadmodum aer (Philoſopho quarto cœli teſte) grauius eſſe tantiſper deprehenditur uel in propria ſphera: quum alioquin in ea quieſcere debeat: ita profectò rationalis anima quanquam immortalis eſt, nihiloſecius ratione (quod ſupradictum eſt) ſimilitudinis, quam partiũ quanlibet quantitate carentium, multiplex adgregatio partuit: tãtiſper ueluti ſeipſam deſerẽs (quæ ſuæ nimirũ eſt imbecillitas naturæ) deflectit ad corpora corruptibilia tanquã graue quoddã põdus: idúe pars eius diſcurſiua, quæ διάνοια dicitur à Grecis (à qua ſecundũ Platonem motus oritur atq; tempus) operatur: quum alioquin ſuprema pars eiuſdem ac potior (quæ νοῦς à Græcis adpellatur, à Latinis uerò mens) ad æterna contemplanda pro uirili totam animæ ſubſtantiam erigat, & quod illico præſtare nequit: uincente ſcilicet partium (quæ ut ita loquar grauitatem operantur & inducunt) multitudine: quod inquam illico mens efficere nequit, adſidua iugiq; tùm contemplatione, tûm orationibus tandem conſequitur: quibus precipuè non ſolùm impetrat à ſummo rerum opifice, quod ſuæ deeſt infirmitati naturæ, utpote inter æterna corruptibiliaúe mediam naturam ſortitæ: ſed ab eodem omnium rerum authore ſimul ac conſeruatore (quippè cui peculiare propriumq; eſt, entibus omnibus impertiri, quod deficit) illud ipſum, quod ſupplex humiliſúe mens orando petit, proprio quodam iure uelut hereditario etiã

extor-

extorquet. adeô Deus Opt. Max. humiliter petentibus, quod proprijs naturæ suæ uiribus solisúe consequi nequeunt, cum alioquin illud idem essentiam suã deceat, & naturæ suæ conueniat: summus inquam hoc casu rerum omnium conseruator & opifex, & condonare tenetur, & cogitur: idúe nequaquam intelligentiæ nostræ fineis egreditur, non miraculum est (quando propriè miraculum id esse censeatur, cuius causa penitus homines fugit, & impossibile iudicatur sed primæ causæ rerum omniũ; hoc ipsum inesse secundum propriam ipsius naturam, uel omnino rationalis humanaq; ratio dictat: quando & bonum maximè sui ipsius diffusiuum esse, simul ac Deum esse summum bonum, notius est, quàm ut demonstrationem requirat.

EADEM PHILOSOPHI VERBA diligentius expenduntur. Cap. VII.

ATQVE hoc est nimirum, quod Aristoteles ait, inter animæ potentias solam rationalem (quam hîc ipse mẽtem adpellat ab eius parte nobiliori nomen desumens) extrinsecus accedere corpori. si rationalis facultas haud foret antè conceptum, sed ab efficiente causa, dum gignitur conceptus, educeretur de potẽtia materiæ: nequaquam dixis-

dixisset Philosophus, eandem accedere corpori organico, quemadmodum haud dicere consueuimus, formam elementarem (puta ignis) accedere materiæ, nec uegetalem aut sensualem potentiam accedere corpori: scilicet quoniam illud propriè dicitur accedere, quod absolutum est, ac per se subsistere potest, ita ut suapte natura possit moueri, secluso quolibet extrinseco: unde nusquam dixeris, accedere corporibus accidentia, nisi fortassis impropriè, quin potius accidentia iure contingere corporibus enuntiaueris, non autem accedere. ita formæ compositorum dum composita generãtur, non accedere, quin potius contingere mixtis dicuntur, quòd antè corpus haud esse possint, sed unâ cũ mixto, cuius formæ sunt, ab efficiente producantur, & corpori contingere dicantur seu materiæ. Proinde Philosophus de hisce uerba, faciens hoc capite inquit: oẽs enim potentia prius, haberi, quàm actu necesse est (subdit) sed aut oẽs, cõtingere cum antè non fuerint necesse est, aut o-, mnes cum antè fuerint: aut partim cum antè non, fuerint, partim cum antè fuerint: & quæ sequuntur. Ecce quum de his uerba facit, quæ antè non fuerunt, statim eas potentias seu species, ait corporibus genitis uel generandis postea contingere. postquam uerò earum quæ antè fuerunt meminit, haud repetit uerbum illud contingere, nec ullo pacto subaudiendum est: quoniam eæ facultates seu species, propriè dicuntur accedere, non autem contingere.

paulò

paulò infra usus est alio uocabulo: nempe uenire, dum ait: itaq; extrinsecus ea uenire impossibile est (mox subdit) nec enim ipsa per se accedere possunt, cum inseparabilia sint: neq; cum corpore, hæc ille. adeô patet Aristotelem indiscriminatim usurparè uocabulum uenire, pro accedere: quandoquidem qui uenit, ad eum locum accedit, ad quem uenit: & qui accedit alicui, pariter illuc ire seu ueni re dici potest. atqui uideatur emphasim longè maiorem habere uerbũ istud uenire, quàm accedere, siquidem inanimata quæuis dum süapte natura ferũtur aliquô, illuc modo quodã scilicet impropriè saltẽ iure dixeris accedere uel ut ita loquar adproquinquare: sed tamen minimè dixeris eadẽ uenire, quòd nimirũ ea uenire dicantur, quæ non solùm illuc natura propria mouentur, uerùm etiã libero uolũtatis arbitrio festinant: unde bruta eatenus ad nos uenire dicuntur, quatenus ueniẽdi libertatem habere creduntur, nec aliter, quã ob rem homines utpote soli rationis cõpotes ac ueræ libertatis, non abusiuè, sed propriè dicuntur, & uenire aliquô, et accedere: uerùm libertate destituta, nullatenus propriè loquendo uenire dici queãt, multò minus accedere intellectus autẽ humanus cum antè conceptũ fuerit, ubi cõceptui nuper formato copulatur, minimè dici queat conceptui contingere: quandoquidẽ ingrediatur conceptũ, natura ui delicet eundẽ illuc propensum reddẽte, idq;, liberè: siquidem ut terra deorsum, ita rationalis facultas

quan-

quanlibet incorporea & impassibilis, propria natura fertur in corpus corruptibile. Quocirca ratione similitudinis ob multiplicem partium quanuis rationalium compositionem propensa est adeô, ut illud mirificè diligat & adpetat, sicúe suæ compositionis mole nimirum eundem, uelut grauitate quadam (ut ita dixerim) illuc trahente, gestiat in corpore corruptibili quidpiam moliri, idúe fortassis ut Plato putat (quod rationi consentaneũ est, quãuis demonstrari nequeat) ut superiores intelligentias, agendo sequatur & imitetur, ac sic ipsequoq; sphæram hanc corruptibilem, hoc est, microcosmon à Græcis dictum circum agat, atq; huius organis utens inferiora cognoscat, & interim multa promat, instar supernarũ intelligentiarum opera: quanquam inter utrasq; discriminis illud intercidit, quòd à superioribus mentibus quicquid agitur, naturale est: quod autem ab inferiori mente prodit, hoc est, ab humano intellectu, utpote cunctarum intelligentiarum imperfectissimo multotiens nequaquam naturale fuerit, sed artificiale uel præter naturam, cuius quidem rei fortassis ratio esse potest, quod ob imperfectionem suæ naturæ, functionibus utrisq; uacare nequeat: nempe cùm actioni, tùm præcipuè contemplationi: superiores etenim intelligentiæ quanuis orbes cœlestes circum agant, ac infernis prospiciant necessitatibus & usibus: tamen ne latum unguem (quod dici solet) à cõtemplatione primi motoris, summiq; rerum omnium

mnium opificis abſcedunt : adeô ut orbes cœleſtes, ferè ſua ſponte circulari motu illo moueantur, quando ſi non actiuum (quod planè fuerit intelligentiæ proprium) ſaltem paſſiuum motus circularis principium, id eſt, ad eum motum inclinationẽ atq; propenſionem in ſe contineant, tantum abeſt, ut intelligentiæ motrici reluctentur. anima rationalis porrò quum magna ex parte potentia ſit, inſtar tabulæ raſæ, & quamminimum actus ac mentis ſiue (ut Ariſtotelicè dixerim) intellectus agentis habeat: ne uni quidẽ primi omnium ſimpliciſſimiq; actus (qui Deus ac ipſa ueritas eſt) contemplationi ſupereſſe queat, nedum actioni corporum uacare: præſertim cum iſthæc corruptibilia corpora (in quem ſcopũ animà rationalis omnes penè ſuas operationes dirigit) eidem animæ mouenti reluctentur, propterea quòd ex pugnantibus adinuicem partibus conflata ſint; adeô partes humani corporis omnes (ſicut & cæterorum animantium) præter naturam atq; uiolenter mouentur perpetuò: ſiquidem idem mobile reſpectu diuerſorum, partim naturaliter, partim uerò præter naturam motu cieri, & eundem motum numero, naturalem eſſe ſimul ac præter naturã, reſpectu (quod ſuppoſitum eſt) diuerſorum: & magnus Galenus & Ariſtoteles octauo Phyſicorũ uigeſimotertio (ſi benè recolo) nequaquã euntinficias, uerbi gratia: brachium utpote motũ ab elemento, deorſum fertur ſecundum naturam, et ſurſum mouetur ab anima præ

ter naturam : adeô motus sursum cruris aut brachij secundum naturam est animæ, sed tamen idem motus utiq; præter naturam corpori fuerit. Ergo rationalis potentia uiolenter quodammodo mouet suã sphæram, hoc est, humanum corpus : idq; non immediatè, sed interuentu sensualis facultatis, sibi secundum naturam subiectæ, atq; id agit, ut superiores intelligentias, ac primùm authorem imitetur præcipuè, scilicet producendo semper aliquid in natura: quanquam mergitur in hisce fabricandis & intelligendis, nisi tandem opera sensuum adsurgat in Deũ, inferioris naturæ dominum atq; parentem : quod præcipuè mens attentare secundum suam ipsius naturam efficereq; tenetur. Atqui ferè semper (proh dolor) humanus intellectus irretitur hisce materiæ cuniculis & anfractibus adeô, ut sui ipsius parum memor, naturalem pulchritudinem exuat, ad quam natura propensus erat, & materiæ turpitudinem atq; deformitatem induat, nempe corruptibilia tantùm cogitans. quapropter instar laruæ (quod Plato prudenter auguratur) amẽs efficitur, ac uelut ebrius operatur : contra uerò, si dum interuentu phantasmatum, species intelligibiles recipiendo, intelligit isthæc corruptibilia, & in ijsdem perpetuò quidpiã molitur: scilicet ad hunc finem, ut superiores naturas intelligentes, quæ plurimùm mentis habẽt, id est, actus & parum potentiæ, sequatur & earum imitetur uestigia : dein ubi tantisper easdem imitatus fuerit

rit cùm agendo tùm intelligendo: tanquam ultrò deserẽs isthæc inferiora tandem, supernarum intelligentiarum mera simulacra, deinde totus in superiores intelligentias se conuertit: demum ab ijs in primum authorem erigitur, in quem uel ab initio semper uelut in scopum collimat; quem non solùm intelligendo, quatenus uidelicet infirmitas naturæ nostræ permittit, sed multò magis amando penetrat, & eidem uni seruiendo felix euadit.

HAVD ESSE PENITVS ORBAtam actualitate materiam primam, ac per consequens multò magis possibilem intellectum, speciẽ & actum esse, quã libet eidem subiecto primo persimilem, ostenditur. Cap. VIII.

TERTIO de anima testatur Philosophus intellectum possibilem (quem animam Plato nuncupat) neq; ullam habere naturam, præter hanc, quod est in potentia. Hinc interpretes colligunt, eundẽ idolis intelligibilibus collatum, eandem habere proportionem, quam materia prima speciebus corruptibilibus cõparata nanciscitur. Verùm si probauero subiectum primum informe. nec esse, nec fingi posse cuiuslibet actualitatis expers: utiq;

seruata similitudine, commodius id adfirmari licere de passiuo intellectu, luce meridiana clarius patebit. Primò consyderandum uenit, quidnam esse propriè dicatur in potentia. profectò si nominis ethymologiã insequamur, quæ plurimũ adfert lucis ad rei naturã percipiendã, prorsus id in potentia esse dicitur, quod cum actu minimè sit, esse tamen actu potest, potentia siquidem è uestigio opponitur actui. illud porrò discriminis intercidere uidetur inter nihil, seu non ens, & potentia ens, quòd id, quod absolutè non est, actu nunquã esse possit: Id uerò potẽtia est (ut dictũ est) quod actu nõnunquã esse queat, adeô uidetur id quod est potentia, mediam quodammodo sortiti naturam atq; condictionem inter ea, quæ actu sunt, & quæ nullatenus sunt. quapropter ut de solis actu subsistentibus optimo iure simpliciter enuntiaueris, quòd sint, quandoquidem ea tantùm uerè sint: ita quoties ea, quæ potentia tantummodò sunt, nominaueris, eadem minimè simpliciter esse dixeris, quin adiecta potius adpendice, ea dices esse in potentia. rursus ut esse dicũtur simpliciter, quæ actu sunt, ita quæ nullo pacto actu esse possunt, absolutè, hoc est, absq; adpendice aliqua, nõ esse dicuntur: exẽpli gratia, simpliciter enuntiamus hircoceruum aut chimeram non esse uel hippocentaurũ, quando nec actu talia sint, nec uspiã esse queant. simpliciter quoq; dicimus hominem esse animal, quoniã actu homo, actu quoq; (uelis nolis) est animal: præterea semen esse

plantam aut animal, si absolutè, scilicet secluso quouis adiuncto id protuleris, indubiè mentieris: sin ad pendicē adieceris hoc modo: semen plantæ est plāta in potentia, et si de animali uerba feceris, utiq; dices: semen animantis est anima in potētia, tûm uerè pronūciaueris. Quā ob rē si quod in potētia est, hoc ipso differt à nō ente simpliciter, quia quod in potētia est, aliquandò actu esse potest, quod uerò simpliciter non est, nullo unquam tempore prorsus erit: omnino consequitur, ens in potentia causas habere, quarum interuentu quandoq; actu esse possit, alioquin haud foret ens in potentia, sed absolutè non ens. id itaq; potentia est, quod in suis causis modo quodā offenditur, ex quibus interueniente motu uidelicet, ad actū elici & educi potest. Proinde entiū in potentia, quorum in natura reperitur immediata quæpiam proximaq; causa, mediusfidius ea dicuntur esse in potentia propinqua: quorum autē causæ remotæ tantùm in natura rerum esse creduntur, ea esse in potentia remota passim efferuntur. Quod si propinqua remotaq; potentia comparentur adinuicē, hoc ipsum erit inter utrasq; discrimen, quòd hæc imperfectus tantùm erit actus, illa uerò etiam imperfectissimus, quū utraq; sit actus imperfectus: quanquam potentia remota, cum ab actu perfecto, hoc est, à specie longius absit, merito imperfectior actus esse, propinqua potentia deprehenditur. Adeô in natura rerum offendi puram atq; nudam potentiam, actus absolutè

cuiusuis expertem, impossibile fuerit nedum difficile. Quocirca suppositis hisce propositionibus immediatis ac indemostrabilibus, quæ si non postulata, certè positiones fuerint: cum aliquam declarationem (ut ex hoc capite superioribus adductis patet) exposcant, hunc in modum ratiocinor: materia prima seu primum subiectum (ut ipsi quidem adstruunt) omni prorsus actu destituitur, neq; tamen iisdem adsertoribus, absolutè simpliciterùe non ens dici queat, cũ actu per speciem esse possit: ergo colligitur eandẽ esse in potentia, quin potius eam esse potentiam ipsam: scilicet per quã cætera in potentia esse dicantur: quẽ admodum & causa prima, quæ nequaquam in actu esse dicitur, quin potius eadem actus ipse fuerit, per quem cætera, quæ actu sunt omnia, in actu esse dicuntur. itaque sic argumentor: omne quod est in potentia, siue ea remota sit, seu proxima: prorsus esse suum in suis causis habet, quarum suffragijs non nunquam exire possit in actum: at materia prima non est in suis causis, ergo non est in pura potentia. minor probatur, quia si per imaginationem, primum subiectum haud esset in natura rerum, prorsus illud idem esse non posset. porrò si foret in suis causis, quanuis non esset, esse tamen actu posset: at constat si non esset, quòd nullatenus esse posset, idúe si quandoq; non esse per imaginationem supponatur, ergo non est in suis causis primum subiectum. Cæterùm species in potentia uerè fuerit, antè quàm eliciatur

de po-

de potentia materiæ, quoniam tunc in suis causis uidelicet efficientibus atq; materialibus, uelut actus quidam imperfectus latitat, hinc Auerroes duodecimo Methaphysices decimo octauo formas ait omnes actu esse in primo motore, potentia uerò in prima materia.

IDEM THEOREMA SEV PARAdoxum alijs firmatur rationibus. Cap. VIIII.

PRAETEREA *nihil primo subiecto natura prius esse potest, eiusdem igitur aliquam causam adsignare nequeas, quando causam quanlibet, effectu natura priorem esse constet. itaq; quũ materia prima prius natura quicquam non habeat, ac per consequens causa penitus careat, quî fieri possit, ut in suis causis seruetur, haud uideo. quòd si causas nõ habet, in quibus (ut cætera possibilia) latere possit, omnino sequitur, eandem in potentia non esse: siquidem id esse in potentia antè definitum est, quod cum actu non sit, esse tamen modo quodam in suis causis habet, per quas ad actum aliquãdo deduci queat. At inquies: materia prima causam habet, nempe formam, quandoquidem species efficit, ut materia esse actu possit, ergo primum subiectum habet causam, ac per consequens in potẽtia esse potest. Atqui species et materia relationes cum sint, adinuicẽ mu-*

tuò referuntur, ita ut alterum alterius causa sit: siquidem utrunq; hoc ipsum quod est, alterius esse dicitur, haud aliter, ac pater & filius, si dixeris patrē esse filij causam, uicissim instabo, filium esse patris causam: natura siquidem relatiua simul esse constat, quò fit, ut propriè loquendo neuter alterius causa dici queat. causa nanq; causato (ut ita loquar clarioris doctrinæ gratia) semper natura prior est (quod penitus ad essentiam causæ pertinet) ergo quum relatiuorum, altero neutrum prius sit, propterea quòd eadem natura simul esse constet, sequitur (propriè loquendo) neutrum alterius causam esse posse. Quapropter qua ratione primi subiecti causa est species, eadem quoq; subiectum ipsum seu materia prima censetur esse speciei causa, adeò sicut species, ut materia sit, causa est: ita subiectū primū, ut forma subsistere queat, causa fuerit. ergo speciei atq; materiæ uoces, planè relationes indicāt, siquidem alterum ab altero pendet, et adinuicem mutuò referuntur: nam materia formæ materia est, itidem forma materiæ forma fuerit. ergo species ac subiectum utpote relationes, natura simul sunt, ac per consequens alterū alterius haud esse causa queat (scilicet propriè loquendo) quando causam effectis natura priorem esse constet. præterea species haud simpliciter causa est materiam producens, sed eiusdem materiæ causa est conseruans: quando materia nequeat in natura rerum consistere, ni præsto sit ei species, itidem forma subsistere,

stere nequeat, ni subiecto quopiam fulciatur. Quam ob rem materia prima seu primũ subiectũ haud quaquã pura fuerit potẽtia, cum eam nulla unquã præcesserit causa: scilicet in qua latitaret, ut inde nõnunquam elici posset in actum: quò fit, ut eadem, actus cuiuslibet haud expers omnino sit, uerùm is actus imperfectus est adeò, ut suapte sponte (ni species opituletur) superstes esse non possit: quia tantæ uirtutis atq; roboris non est actus ille, ut quantitatibus limites præscribere queat, ac per consequẽs neq; materiæ ipsius essentiam in angulo (ut ita loquar) concludere certisúe claudere finibus, alioquin ipsa foret per se formata, quod in aurea illa digressione, Themistiũ uoluisse, in Aristotelis primũ de Physico auditu librũ arbitror. porrò Philosophus adseuerans materiã primam, esse cuiusuis actus experiẽ, mea quidẽ sententia per actum, intelligit actũ perfectũ, qui forma siue species nũcupatur, quod nimirũ per antonomasiã actus dicitur: materiæ uerò imperfectus actus ille, non actus absolutè simpliciterúe dicẽdus est, sed cum adpedice uidelicet, actus imperfectus: quando quidem is solus propriè uereq; sit actus, cuius uirtute primũ subiectũ in natura rerũ esse queat, et actui eidem imperfectissimo inhærens (quem sua presentia perficit) edere perfectũ aliquod opus possit, ac sic uires suæ perfectionis exerere. Proinde passiuus intellectus seruata similitudine, penitus expers actus minimè fuerit, quanquam suapte sponte nequeat re-

cipere

cipere quidquam, nec intelligere, sed agentis intellectus subsidium poposcit. Si de quo minus inesse uidetur & inest, igitur & de quo magis, iuxta præceptiones Topicas: at minus uidetur, quòd materia prima sit actus, licet imperfectissimus & imbecilimus, cum alioquin res sic habeat: ergo multò magis intellectus passiuus siue possibilis, actus erit: quippequi tantò dignitate materiam primam excedit, quantò constat æterna præstare corruptibilibus. Quocirca Philosophus inquiens intellectum possibilem nil aliud esse, præter meram nudamúe potentiam: eundem haud simpliciter, sed collatione facta cum speciebus corruptibilibus, id protulisse putandum est. id & Auerroes docet commento quinto, et ex quarto textu colligitur, ubi passiuum intellectum Aristoteles idcirco putat omni specie destitui, quòd omnem speciem recipiat, & nihil possit seipsum recipere, cum oporteat natura rei suscipiendæ, carere suscipiens quodlibet. Atqui species quæ recipiuntur & intelliguntur ab hoc intellectu, sunt omnes corruptibiles, quod uel ex eo patet, quia nihil abq; phantansmatibus intelligere potest: ergo sic debet intellegi, quòd is intellectus est pura potentia, non quidem simpliciter & absolutè, sed cum adiuncto uidelicet, respectu specierum corruptibilium: quia nullam in sua natura possidet speciem corruptibilem, sed omnes ad unam indiscriminatim recipere potest ac intelligere, quæ fuit Auerrois expositio. Alium insuper eius enun-

tiati

tiati seu theorematis sensum comminisci liceat, nẽmpe rationalis hanc animæ partem, quæ possibilis adpellatur: suapte quidem natura perfectionem & actum esse, sed tamen intellectui agenti collatam, & propriæ menti (ut Platonice dixerint) merã nudamúe dici potentiam. nanq; passiuus intellectus si pura simpliciter esset potentia, nihil ageret, sed tantùm reciperet: at non modò recipit, uerùm etiã quod recipit, diiudicat & intelligit: ergo mera potentia priuatioq́; dici nequeat, ut enim imbecillis actus materiæ primæ nequit efficere, ut eadem absq; speciei suffragijs actu sit, atq; subsistat: ita possibilis intellectus utpote infirmus actus, sibi ipsi nequaquam impertiri queat intelligẽtiam (scilicet agentis intellectus auxilio destitutus) atq; specierum corruptibiliũ receptionem: quibus scilicet medijs, ad percipiendã diuina sensim adsurgit, quæ deinceps omnia tandẽm adsequitur ac ijsdem fruitur, sicq́, felix euadit.

OBIECTVM CONTRA SVPERIVS adducta difficilimum diluitur. Cap. X.

AT inquies: si iuxta supposita, quicquid est in potentia, siue ea remota fuerit seu propinqua: causam omnino præexistentem requirit, in qua lateat illud idem, quod in potentia esse dicitur:

citur: quî obsecro primum informe subiectum in potentia fuerit, quum illud nulla penitus in qua latitare possit, causa (quod supra clarè satis ostensum est) præcedat? Respondeo subiectum illud primum siue materiam primam in potentia esse, uerè simul ac propriè loquendo dici non posse: quinpotius eandem potentiam ipsam adpellari conuenit, quando plurimùm intersit inter potentiã ipsam & esse in potentia, quemadmodum & inter actum ipsum & esse in actu. Nanque quicquid est in actu, hac una ratione dicitur esse in actu, quoniam est actus particeps, ita tamen ut actus uincat potentiã: unde quicquid est in actu, necessariò potentiam habet secum adnexam, alioquin actus ipse potius foret, quàm in actu. propterea separatæ substantiæ quanuis impropriè loquendo nonnunquam actus adpellentur, haud tamen easdem actus purissimos adfirmare quis audeat, ac per consequens nec simpliciter actus, quòd potentiæ nimirum penitus minimè sint expertes, solus porrò Deus Opti. Max. utpote simplissimus atq; cuiusuis expers potentiæ, dubio procul uerè, propriè, ac simpliciter actus adpellatur: quẽadmodũ idẽ quoq; non iustus, non ueridicus, non bonus, sed ipsa bonitas, ipsa iustitia, ipsa denique ueritas optimo iure nuncupatur. Ita profectò primum informe subiectum, quippe quod è uestigio primo actui omnium simplicissimo opponitur, nempe Deo, nequaquam habere potentiam uel esse in potentia dici debet: sed ipsum illud

subie-

subiectum, nil aliud quàm ipsamet potentia fuerit, quando quicquid in potentia est, propter illud in potentia esse dicatur. ut enim Deus utpote nō in actu, sed actus simpliciter purissimus, in causa est, ut quæcunque actu sunt, in actu esse dicantur, ac nihil uerè actu sit, nisi quatenus est illius actus perfectissimi particeps: ita planè primum subiectum, non in potentia est, sed ipsamet est potius potentia: adeò ut quicquid in potentia est, haud alia ratione in potentia esse dicatur, quàm quòd primi subiecti (quod ipsamet potentia est) particeps offenditur. Substantiæ porrò separatæ quanquam materiæ sunt expertes, nihilosecius habent essentiæ suæ portionē imperfectam, quæ materiæ uices gerit, si cum eiusdē essentiæ nobiliori parte conferatur, ratione cuius in potentia esse dicitur: unde quemadmodum ignobilior portio rationalis animæ, quæ passiuus intellectus nominatur, primo subiecto generabilium atque corruptibilium simillima est, eiq; proportione respondet: ita partem substantiarum abstractarum ignobiliorem, similitudine quadam materiebus (quæ ferè sunt infinitæ) generabilium atque corruptibilium secundis, respondere naturalis ratio dictat: adeò uerò uerius esse (ut sic dixerim) quod Plato diuinus adnotauit, nēpe corruptibilia, rerum æternarum esse simulacra seu imagines: illud inquam uero uerius esse deprehenditur. Cæterùm isthæc specierum corruptibiliū materies, quanquā ipsamet potentia est,

per

per quam cætera, quæ sub lunæ globo continentur in potentia esse dicuntur (eatenus enim in potentia esse censentur, quatenus subiecti primi quod mera potentia est, dignoscuntur esse participes) quanuis primum subiectum inquam minimè particeps potentiæ dici queat, quinpotius ipsa potentia: nihilominus adhuc actus quidam est, sed tamen ita imbecillis & tam exiguus, ut non modò solus subsistere nequeat, et esse (ut ita loquar) actu actus: uerùm etiā parū absit. quin abeat in nihilum: adeô beatū Augustinum quodam loco scriptum reliquisse ferunt, se uidelicet admirari uehementer summum rerum opificem, quòd quum ipse perfectissima sit entitas (ut scholastice dicam) interea fecerit aliquid prope nihil: nempe materiam primam, quam uerisimile est, posse (quod Auerroes innuit) quantitates saltem interminatas parturire, ut uel hoc ipso, quòd aliquid agat, actus esse dignoscatur: proferret.n.uerisimiliter termino carentes quātitates materia prima, si per imaginationē, in natura rerum ipsa tantisper sola subsistere posset. Hinc primū istud informe subiectum Plotinus diuinè malū adpellat, cum alioquin absolutè simpliciterúe malū iure dici nequeat: quòd scilicet mali uocabulum non enti simpliciter, propriè competat, unde Beatus Augustinus in Solliloquijs peccatum, uidelicet sub ea ratione qua peccatum & malum est, absolutè simpliciterúe, nihil adpellat.

NON

NON MODO PASSIVVM INTELLECTUM, uerùm etiam rationalem totam animæ partem: ſcilicet ex agente poſſibiliúe conflatam intellectu, nudam eſſe potentiam, oſtenditur, adhæc eandem ſolis naturæ ſuæ uiribus prout conuenit, in natura rerum, conſiſtere non poſſe, declaratur. Cap. XI.

VIM ſubſiſtendi ſubiectum primum ſibi ipſi nequaquam impartiri poſſe, quòd imbecilimus omnium actus ſit, ſupra ſatis oſtenſum arbitror. Quapropter Auerroes utiq; ſcopum in uniuerſali ſaltem attigiſſe uiſus eſt, intellectũ poſſibilem áſſeuerans ſpeciem & actum eſſe, ſeparabilem, immixtum, & quæ ſequuntur: adhæc eundem ab Ariſtotele dici puram potentiam, non ſimpliciter, ſed reſpectu ſpecierum ſenſibilium atq; corruptibiliũ, quũ nullam actu ſuapte natura poſſideat, quanquã eaſdem omneis habet in potentia, quumq; rationalẽ animã ex actu potentiaq; conſtare manifeſtò pateat. Aliam cõmenti ſumus expoſitionem, ſcilicet ut paſſiuus ĩtellectus mera nudaúe credatur eſſe potentia, non ſolùm reſpectu ſpecierum corruptibilium (quòd expræſſiſſe uidetur Auerroes) uerùm etiam collatione facta cum mente, totius eiuſdem animæ

mæ rationalis nobiliori parte, quã Aristoteles (ut supra dictum est) agentem intellectum nuncupat, quandoquidem is quoq; possibili collatus eidem intel lectui, planè dicatur actus. Verumenimuerò longius hîc expaciari lubet in tam lato philosophandi campo, qui uel elingui cuiuis orationem suppeditare queat: adeô fœcundã atq; uberem ultrò promit dicendi copiam Vt donemus intellectum passiuum, siue speciebus corruptibilibus, seu intellectui agenti comparetur, puram esse nudamúe potentiam: ita non imus inficias rationalem totam facultatem, scilicet ex agente possibiliúe conflatam intellectu, nudam potentiam posse nominari, ratione quanuis longè diuersa. Humanus.n.intellectus quanquã propriã natura cùm incorporeus pro confesso, tùm incorruptibilis supponatur à multis peripatheticis, inter æterna nihilosecius corruptibiliaq; medius censetur: præterea cæteris intelligentijs collatus, omnino iudicatur imperfectissimus, quòd uel omnes Peripathetici prorsus, unâ cum Academicis atq; Theologis pariter haud diffitentur: adhæc si cum intelligentijs ijsdem conferatur superioribus, pura quoq; potentia dici queat, hoc est (ut de materia superius exponebamus) actus imperfectus: qui quidem imperfectus actus, licet actus sit, quia tamen per se nequã quam subsistere potest, actus absolutè uocabulo censetur indignus: quò fit ut non simpliciter actus, sed cum hac adpendice uidelicet, actus imperfectus iure

ueniat

ueniat, adpellatur. Verùm humanus intellectus fortè possit per se solus in natura rerũ consistere (quòd de prima materia nequaquam adparet) eo tamen modo scilicet, quo cæteræ diuinæ subsistunt intelligentiæ, nequit in natura rerum consistere: quòd alioquin Aristotelis ad unũ interpretes hactenus (quod sciam) ne per somnium quidem uiderũt: quandoquidem aliæ superiores intelligentiæ, uel absq; corporum opera subsistunt adeô, ut corpora quoq; saltem corruptibilia, quodammodo detestentur & abhorreant, utpote dissimilima suæ naturæ: ac si quædam earum, corpora mouent in circulum, nihilominus eisdem corporibus haud essentiam unâ cum operationibus impertiuntur: adeô minimè dixeris cœlum se ipsum mouere (quanquam intrinsecum obtineat initium motus passiuum) quin potius ab alio moueri tã quam ab extrinseco, uidelicet ab intelligentia. Accedit quòd cœlestia corpora, quũ incorruptibilia sint, absq; labore mouentur, quum interim isthæc corruptibilia, uel animantium mixta (de simplicibus enim secus est) ab anima quantumuis eius corporis specie, præter naturam eorundem corporum moueantur: quòd cùm ex Aristotele libro Physicorum octauo, textu uigesimo tertio, tùm ex Galeno uel abundè supra citato loco monstratum est. Quam ob rem unus inter intelligentes substantias intellectus humanus, in corpora pronus suapte natura fertur, & quodammodo corporeus efficitur, ac per se non subsistit

in natura rerum: non quidem simplicer (alioquin nihilo perfectior materia prima foret, immò nec intelligere, nec aliud quidquam ageret) sed in natura rerum per se non subsistit, modo scilicet subsistendi perfecto, uidelicet quomodo cæteræ subsistunt intelligentiæ. Quapropter intellectus humanus non solùm pura potentia est, respectu specierum corruptibilium (ut sentire uidetur Auerroes) sed præcipuè respectu rationeq; cæterarum intelligentiarum. Nanq; sicut materia per se nequit in natura rerũ subsistere ni perficiatur à forma, & subsistendi uires ab ea consequatur, ita nimirum, humanus intellectus à corruptibili corpore diuelli nequit: scilicet in quod ob multiplicem partium rationalium compositionem, ratione similitudinis propensum est, & illud adfectat: separari nequit inquam à corpore, ni presto sit ei superior intelligentia, quæ suum actum imbecillem noua quadam uirtute communiat, atq; suis uiribus suoq; lumine foueat adeô, ut hisce suffragijs adiutus, tandem corpora quælibet corruptibilia deserere queat, & eo planè modo subsistere, quo cæteræ consistunt intelligentiæ. Quam ob rem id humano commune fuerit intellectui simul ac subiecto primo, quòd sicut materia prima uidelicet ob imbecillitatem actus sui, ut in natura rerum actus sit, suffragia speciei poposcit, ac nullo potest alio modo subsistere: ita nimirum humanus intellectus, quãquam per se corporibus corruptibilibus hærere potest, quia

tamen

tamen hic essendi modus (ut ita loquar) quālibet ei naturalis (uincente scilicet actū potentia) ratione possibilis intellectus quatenus est anima, non est totius animæ rationalis præcipuus, cùm essendi (liceat enim in rebus mihi tam difficilibus effingere nomina) tùm subsistendi: scilicet quatenus est mentis particeps, ob quam in genere saltem, eius est naturæ, cuius esse creduntur intelligentiæ sublimiores, quæ longè plus mentis quam animæ sunt participes. itaq; præcipuus totius animæ rationalis, actu subsistendi modus, eidem naturalis saltem ratione mentis, exigit: ut à corpore corruptibili separetur aliquando, ac per consequens intellectus passiuus utpote pars eius per se subsistat, quomodo cæteræ scilicet subsistunt intelligentiæ. Quocirca talem suapte natura subsistentiam stimulis mentis adfectat hoc est, intellectus agentis, & adpetit, uelut animæ toti rationali magis connaturalem (quanuis isthæc intellectus passiui fortassis natura peculiaris, seclusa mente, magis hæreat corruptibilibus corporibus) quanquam connaturalem hunc intelligentijs omuibus in genere subsistendi modum, intellectus humanus suapte natura consequi nequit, uincente scilicet portionem agentem intellectu passiuo, uel (ut more loquar Platonico) uincente mentem anima, seu uincente unitatem multitudine: Licet inquam connaturalem hunc intelligentijs omnibus in genere (uidelicet ratione mentis) subsistendi modum intelle-

ctus humanus suapte natura consequi nequeat: quòd id naturæ suæ nimirum infirmitas probibeat: tamen intellectus idem humanus sublimiori parte suæ substantiæ, quam Plato mentem, Aristoteles autem intellectum agentem nuncupat: quanquam eundem subsistendi modum intelligentijs peculiarem, scilicet à materia separatum adsequi non potest: illo saltē actu suo quanlibet imbecilli, idem illud adfectat anxiè, simul ac adpetit, & orat: neq; tamen interea temerè præterúe rationem id adgreditur, quia quod uiribus proprijs desyderare tantùm potest, id ipsum orando tandem, atq; laborando uiribus alienis (diuina uidelicet extrinsecus uirtute suppetias ferente) consequitur: idúe non aliter ac primum informe subiectum, quod quum adpetere tantùm ualeat, proprijs uiribus in natura subsistentiam: insuper naturæ cœlestis beneficio materiam agitantis, adquirit formas, quarum ope tādem in natura rerum aliquando subsistit. Adeô quod in primo subiecto primaq; materia naturalis adpetitus, idem in anima rationali penitus oratio præstat: quando prorsus æquum ac secū dum naturā sit, ut inferiores naturæ primā causam: scilicet bonorum datorem omniū colant atq; uenerentur, idq; precipuo (quod humanū intellectum præcipuè decet) cultus genere, qui dubio procul est oratio: siquidē ipsum quoq; primū informe subiectum, causam primā, quatenus scilicet eius permittit imbecillitas, ueneratur, ac suo quodam modo suspicit.

OBIE-

OBIECTVM CONTRA DETERMINATA tollitur è medio. Cap. XII.

AT iure quispiam dubitauerit: Si rationalis anima, cuius pars esse creditur intellectus passiuus, secundum naturam à corpore corruptibili separabilis est: sequitur eandem proprijs uiribus ab eodem aliquando separatum iri, ac per consequens eius parteis omneis, igitur & intellectum passiuum. cur itaq; (inquies) adfirmas passiuũ intellectum haud à corpore corruptibili separari posse adeô, ut propria natura proprijsq; uiribus subsistere nequeat in rerum natura: quum alioquin ostensum fuerit iuxta Philosophi sententiam, eundem à corruptibili corpore separabilem esse? profectò si proprijs uiribus propriaq; natura actu separatus à corpore, subsistere non posset, neq; separabilis dici, nec esse posset. Verùm huic obiecto fieri satis posse crediderim hunc in modũ: Quanquã tota rationalis anima conflatur ex duabus præcipuis partibus, uidelicet nobis notis, nempe ex intellectu passiuo qui materiam refert, & agente, qui speciei uices gerit & actus: item quanuis eadem ratione composita sit ex potentia & actu, nihilominus quum eadem rationalis anima, sit omnium intelligentium substantiarum imperfectissima (quod uel unus amor corruptibiliũ ostendit) ob idúe corruptibilium incorruptibiliumûe media:

media: præterea quum integra rationalis eadem anima, si cum superioribus intelligentijs conferatur, quã minimum actus in sua natura possideat, plurimum uerò potentiæ: propterea nil mirum, si mole sua (ut sic dixerim) ac uelut grauitate ruit in preceps, id est, corruptibilibus illabitur corporibus. porrò quanuis plus in anima rationali possit, materialis pars, & intellectus passiuus operando simul ac deprimendo, quam agens, id est, mens ac eiusdẽ animæ portio superior erigẽdo: tamen non usq; adeò succũbit mens hoc est, intellectus agens & actus, quin saltem à corpore separationem adpetat: ac ne frustra uideatur hic adpetitus huic naturæ inditus, quòd id mirificè cùm uniuersalis natura, tùm particularis abhorreat, eidem aliquando rationali potentiæ, actum ut pote debilem, potentiæ mole obrutum sortitæ: superiorem aliquam (quæcunq; illa fuerit) intelligentiã, actu prægnantem atq: fœcundam ac potentiæ quàm minimùm habentem, suppetias ferre, rationi consentaneũ est: quò scilicet hisce suffragijs extrinsecis adiuta foueatur atq; uires adquirat adeò, ut hisce compedibus quandoq; corporis corruptibilis explicata, per se tandem instar supernarum intelligentiarum subsistere queat: ac sic ex anima, seu possibili intellectu, hoc est, ex potentia, semel euadat tota mens, siue actus & intellectus agens: scilicet quatenus id sua ipsius natura permitit ac patitur. ita fit, ut esse suũ, toti rationali potentiæ connaturalem (scilicet quatenus

tenus est intelligentia mēte prædita) quanuis à solius natura possibilis seu materialis intellectus diuersum, qui plus potest in tota rationali potentia deprimendo, quam intellectus agens erigendo: ut esse suū in quā quod adpetebat iandiu, mētis nimirū igniculis urentibus, aliquando consequatur: idúe non proprijs uiribus, sed fauore potissimùm supremæ totius orbis intelligentiæ, quam humilibus hominū orationibus flecti, uel naturalis ratio dictat. Itaq; tandē anima rationalis liberata pondere corruptibili, nihil nisi diuinum (quod eam decet precipuè) tentat atq; molitur. At inquies: isthæc ut gratis condonemus, et esse pulchra inuenta fateamur, ita probabilia tantùm esse non diffitemur: Philosophos autem ea solùm adstruere deceat, quæ demōstrationibus fulciri queāt. quid ais? quotus quisque est (obsecro) qui tam abstrusis in rebus demonstrationem hactenus attulerit? si uerisimilibus adquiescere rationibus conuenit, in causis mixstorum imperfectorum scrutandis: nempe grandinum, pluuiæ, roris, tonitrui, cometarum, & aliorum insuper id genus (quod Aristoteles primo Metheororū admonet) quantò magis in animæ substantia rationalis uestiganda? Philosophus in libris de animalibus scriptum reliquit, expedire præstareq; de rebus sublimibus cùm pauca nosse, tùm probabiliter ac dialecticè, quàm cùm multa, tùm demonstratiuè de rebus inferioribus examussim percipere: qui demonstrationem igitur in ijs omnibus requirat quis-

piam, in quibus, ne unã quidẽ Aristotelem ipsum attulisse, supra probauerim: quando satis superq; me fecisse prorsus iudicare teneatur æquus rerum æstimator optimo iure, si rationi consentanea (quod me præstitisse reor) in medium adduxerim? si materia prima nequit in natura rerum consistere, ni præsto sit ei suis uiribus forma seu species & actus, uidelicet perfectus: quando materia quoq; suum actum quanuis imbecillem possideat, & isthæc inferiora, rerum à materia separatarum actu, uel separabilium umbræ sint atq; simulacra: si primum inquam subiectum proprijs uiribus in natura rerum consistere nequit: nonne protinus inde conijcere liceat optima ratione, humanũ intellectũ utpote materiæ similimũ, suapte sponte actu separatum à corpore corruptibili (natura quanlibet incorruptibilem) subsistere non posse: scilicet congrua intelligentiarum naturæ subsistentia: idq; propter imperfectionem suæ naturæ (uincente uidelicet actum potentia, in tota sui substantia) si cum superioribus intelligentijs conferatur: Nonne protinus inquam inde conijcere liceat humanum intellectum, modo substantijs intelligentibus congruo: si cum intelligentijs superioribus conferatur, subsistere non posse, ni superior intelligentia quæpiam atq; sublimior eam foueat, hoc est, opituletur ei, atq; ferat suppetias? si quæ uerisimilia non censentur (quod affabrè quidam, iuris ciuilis interpretes adnotant) idcirco ueniunt eliminanda

da

da, quod imaginem habeant falsitatis: nonne (dic sodes) à contrario sensu (scilicet quotiens res maximè captum nostrum effugiunt & obscurissimæ se offerunt) recipienda ueniunt rationi consentanea, quòd eodem iure ueritatis simulacrum referant, & ueritatem ipsam si non examussim ob oculos constituunt, saltem (ut ita dicam) adumbrent?

SYLLOGISMVM ARISTOTELIS Quarto textu libri tertij de anima, iuxta sectionē Auerrois, quo probatur immortalitas intellectus, minimè demonstratiuum esse conuincitur. Cap. XIII.

SI noster intellectus unum agnosceret tantùm genùs sensibiliū, sicut uisus uel auditus, aut omnium qualitatum & accidentium præterea sensiblium communium uel propriorum: utiq; nihil uetaret, quò minus idem esse posset una sensibilis natura siue species determinata, quemadmodum, uisus, uerbi gratia: quum non omnia sensibilia, sed colores tantùm agnoscat unâ cum sensibilibus communibus, potest esse natura sensibilis, scilicet alterius generis: sed tamen haud esse queat coloratus, quia sic colores minimè reciperet, ac per consequens neq; cognosceret, quod nimirum cognitio quanuis rece-

ptionis

ptionis ſpecierum interuentu generetur. proinde quandiu colore quopiam imbutus eſt oculus, ac uelutí laruatus, tandiu cognitione deſtituitur aliorum colorum: unde ſi uitrum oculo uiride ſuperimpoſueris exempli gratia, profectò quicquid intuitus fueris, uiride mox adparebit. porrò quod de uiſu dictum eſt, idem omnino de cæteris ſenſibus intelligi uelim. Verumenimuerò noſter intellectus, quia non agnoſcit tantùm unum genus ſenſiblium, ſicut particularis quilibet ſenſus, ſed omnino capax eſt totius naturæ ſenſiblis, ac ſpeciem quanlibet ſenſibilem agnoſcere poteſt, et per cõſequens recipere: noſter inquã intellectus, idcirco non poteſt eſſe natura ſeu ſpecies aliqua ſenſibilis: nanq; ſicut particularis quilibet ſenſus carere neceſſariò debet eo genere ſenſibilium, quod recipere conſueuit & agnoſcere: ita nimirum oportet intellectum orbatum eſſe tota natura ſenſibili, quandoquidem uniuerſam indiſcriminatim recipere pariter ac dignoſcere queat. Hiſce iactis fundamẽtis erigitur Ariſtotelis ratiociniũ hoc pacto: Omne quod recipit, neceſſariò carere debet eius natura quod recipitur, at intellectus humanus eſt omnium receptiuus (ut aiunt) ſpecierum ſenſibilium, ergo nõ eſt natura ſenſibilis quæpiã, hinc colligit intellectũ, nullã aliam habere naturam præter hanc, quòd eſt poſſibilis, ſcilicet reſpectu formarum omnium ſenſiblium. Interpretes hîc paſſim adſeuerant, hunc Ariſtotelis ſyllogiſmum eſſe demonſtrationem propterquid. Ego uerò ſi

rò si licet unicuiq; fari, quicquid sentit ingenuè, probabilem hanc rationem existimo, non autem demonstratiuã. Galenus in libris de temperamentis, ut periculum faciat hominis adamussim exactéq; temperate, fingit exactam extremorum duorum mixturã, nempe glaciei & aquæ feruentissimæ: siquidem in tota natura (uel Aristotele teste libro de generatione primo, simul ac sensu iudice) nihil reperias glacie frigidius: aqua uerò feruentissima quanuis absolutè simpliciterúe (scilicet Physicè loquendo) nequaquã caliditatis extremũ nãciscatur gradum, cum eadem ignis multò fit calidior: tamẽ quoniam in hac infima mundi parte, quam homines incolunt, nihil offenditur penè, quod nos magis urat, ac aqua diutissimè igni maximo exposita atq; feruentissima, quãdoquidem cutim nostram paulò minus lacessit corrumpitúe nostram substántiam, ac ignis ipse: propterea Galenus hanc eandem ob oculos posuit, uelut extremũ quidpiam in calefaciendo, dicitúe complexionem ex aqua feruentissima simul & glacie, prorsus euadere temperatissimam: quod quidem ex his extremis mixtum atq; temperatum, si statim admoueátur corpori temperato, nullus omnino sentitur alicuius qualitatis excessus, ac sic hoc artificio dignoscitur homo temperatus. Auerroes porrò scriptum reliquit secundo de anima, temperiem exactam ut pote cutis nostræ temperamento similimam, à sensu dignosci, non positiuè quidem (ut ita loquar) sed pri-

natiuè:

uati uè: ſiquidem ubi ſenſus tactus percipere nequeat alicuius qualitatis exceſſum, neq; ſibi ſimilem poſſit recipere temperiem, quando (quod ſuppoſitum eſt) oporteat omne recipiens, recipiendæ ſpeciei naturapenitus eſſe deſtitutum & orbatum: ſanè tùm ſenſus eo caſu, non qualitatis exceſſum, quippequi nullus eſt: non temperiei ſimilis ſpeciem, quoniam eandem in ſe continet cutis noſtra. & intus exiſtens idem genere, prohibet (ut Ariſtotelis utar uerbis) extraneum & obſtruit, id eſt, ſeiungit, ſed uoluptatem ſolùm eo caſu percipit ſenſus tactus: nēpe ratione ſimilitudinis, unde demum ratio colligit, exactam ineſſe temperiem: hinc glans penis ac præputium, & matricis collum, quotiens ſe mutuò tangunt (multò magis ſi frictio accedat) non caliditatem aut frigiditatem: quum utriuſq; membri ſubſtantia temperata ſit in qualitatibus actiuis ſaltem, ſed uoluptatem tantùm percipiunt, idúe ſimilitudinis unius ratione. hinc Galenus adnotat in libris de uſu partium perpulchrè, naturā hiſce membris tēperiem indidiſſe, ſimul ac uoluptatem inſignem, ut animantia uel inuita rapiantur ad generationem. hinc corrolariè noui problematis ueritas excutitur uidelicet: cur duæ manus (præſertim ſi corpus utriuſq; probè temperatum ſit) dum ſe mutuò iungunt & amplexantur inuicem, nullius omnino qualitatis ſenſus emicat, ſed uoluptas tantùm inſignis percipitur, quā una parit exacta qualitatum omnium, ſcilicet primarum

rum temperies, atq; similitudo: cui dubio procul acceptam imprimis referre delectationem omnem conuenit; adeô ut in animis quoq; uirorum inter se loquentium, una conceptuum animi similitudo partu riat utrinq; iocunditatẽ. Itaq; patet ex superioribus organũ sensus tactus (ut cætera omnia taceã, quæ sub lunæ globo continentur) & ex primis quatuor elementorum qualitatibus consiari, & easdem qualitates nihilosecius recipere. quòd si forsitan obijcias, id Aristotelico syllogismo reluctari, quia si qualitates elemẽtorum organo tactus inessent, simul ac eiusdem organi medio: sequeretur earundem primarum qualitatum species haud recipi posse, ac per consequens nec ab eodem sensu tactus agnosci, quãdo suppositum sit, recipiendæ rei natura, recipiens quodlibet esse destitutũ oportere: huic obiecto patet ex superioribus responsio, nempe quod licet organum tactus minimè sit orbatum ijsdem qualitatibus, quarum species suscipit & agnoscit, nihilominus caret hisce qualitatum gradibus, quos recipit: adeô tactus organum siue medium eius caro, uel aliud quidpiam, quotiens calorem sentit aut frigus, haud percipit quenuis caloris aut frigoris gradum, sed eos tantummodò qualitatum earum gradus agnoscit, qui mediam excedunt temperiem: cuius quiddem rei uel illud euidens argumentum est, quòd exacta duorum extremorum inter se pugnantium miscella, quæ temperatissima iam euaserit, & humanæ cuti persimilis, in acti

uis saltē qualitatibus: iudicari nequit à sensu tactus, nisi priuatiuè, quemadmodum exemplo aquæ feruentissimæ simul et glaciei, satis superq; monstrauimus. Hisce iactis eorum, quæ dicenda sunt, fundamentis, nihil obstare uideatur, quò minus effingere possit quispiam, humanum intellectum esse uirtutem corpoream & corruptibilem, haud secus ac ipse sensus: quæ uidelicet percipiat, non genus quoddam sensibilium determinatè, quemadmodum sensus: sed indiscriminatim quanlibet speciem sensibilem suscipiat, ac subinde sensibilium omnium (quod prisci contendebāt) semina contineat. Præterea sicuti tactus sensus ex primarū mixtione qualitatū exactè tēperatarum adeô, ut ad symmetriam æquilibriumúe redactæ sint, emicat; ita suspicari meritò quis possit intellectum, speciem esse corporis, ex elementis quatuor constitutam: ita tamē, ut longè purius requirat corpus atq; uehiculum intellectus, quàm sensus: quod uel ex eo probatur, quoniam homines longè plures atq; temperatiores habent spiritus, ac bruta: adhæc inter homines, ij præ cæteris excellenti præditi sunt ingenio, qui temperatiores habent spiritus, unâ cum totius corporis uniuersa substantia: Quapropter sicut sensus tactus recipit primarum qualitatum gradus, temperiem excedentes, cum alioquin eius organum, cuius tangibilis facultas forma est ac species, ex eisdem qualitatibus primis conflatum atq; constitutum sit: ita mehercules humanum intellectum esse

corporis

corporis organici speciem, quod ex elementis quatuor corruptibilibus cõstitutum fuerit: humanũ inquã intellectum corporis quanlibet corruptibilis corruptibilem formam, nihilosecius recipere sensibiles posse formas omnes, iure quis ambigere queat. Proinde si ita dicas: intus adparẽs prohibet extraneum, ergo passiuus intellectus, si uirtus corporea semel statuatur, haud alias recipere queat formas corpareas: sanè reflectam argumentũ hoc pacto: sensus tactus utiq; corporea uirtus est, ergo ratione pari nequit primas qualitates utpote corporeas uirtutes recipere: si dixeris recipere quidem tactũ qualitates primas, sed tamẽ à sua tẽperie gradibus distinctas atq; diuersas: adhæc recipere quidẽ species uisum sensibiles & corruptibiles, cũ alioquin ipse quoq; uirtus corporea sit et corruptibilis: sed tamẽ eas naturas rerũ sensibiliũ atq; corruptibiliũ, esse specie distinctas, à uirtute uisiua: tum uicissim adseuerabo passiuũ intellectũ, in genere quidẽ cum cæteris omnibus formis corruptibilibus, conuenire, uerùm ab iisdem omnibus specie seiungi, & ob id easdẽ omnes posse recipere. At inquies: ea proportio est intellectus ad totam naturam sensibilem, quæ est particularis sensus ad unum determinatum genus sensibilium: unde sicut uisus (& sic de sensibus singulis) caret quodam generé sensibilium, hoc est, colore, ita nimirum intellectus carere debet tota natura sensibili: mediusfidius huic obiecto probabili, probabiliter quoq; forsitan respõdere liceat hũc

in mo-

in modum: quilibet sensus particularis utiq; determinatus est ad unum genus sensibilium, quoniam organi sui temperamentum minimè aptum est ad recipiendum aliud genus sensiblium, exempli gratia: uisus colores recipit, quoniam eius organum est perspicuum seu diaphanum: at idem nequeat sapores suscipere, quòd id sui temperies organi non ferat. rursus auris sonos percipit, quippe qui aeris interuentu fiunt, quum & ipsum auditus præcipuum instrumentum, modo quodam aereum sit: at quum humidi. æq; non sit (saltem indicio sensus) particeps organum auditus, propterea saporum species (qui non nisi humiditatis interuẽtu fiunt) haud potest suscipere. Intellectus porrò tale sortitus est organum, quod indiscriminatim quascunq; species recipere potest sensibiles: quòd scilicet illud idem intellectus proprium instrumentum, non modò temperatissimum sit, uerũ etiam tenuissimum atq; perlucidum: nempe spirituũ hominis temperamentum, yq; non omnes sed oĩum humani tẽperamenti spirituũ purissimi, tãtùm cõcurrũt: qui scilicet in ea multiplicium arteriarũ textura (quæ rectè mirabile dicitur cerebrũ cõtingẽte) et gignuntur, & geniti perficiuntur: Ergo non est absurdum nec incoueniens, quòd humanus intellectus corporea uirtus sit, quæ species omneis sensibiles recipere apta sit & idonea. Quam ob rem quum urges inquiens: Ea proportio est intellectus ad naturam sensibilem uniuersam, quæ est sensus particularis, ad

unam

unum determinatum genus sensibilium: utiq; libenter hoc adsumptum admitto, at quum infers: unde sicut uisus caret quodam genere sensiblium, ita conuenit intellectum tota carere natura sensibli, siste gradum tantisper: si intelligis intellectum carere tota natura sensibili, ita, ut ipse nō sit corporea uirtus, atq; corruptibilis, sanè tunc negatur illatio, quā alioquin quāplures Aristotelis interpretes admittunt; immò uelle uidetur illud idem Aristoteles: uerùm si sic intelligas, scilicet intellectum oportère specie diuersum ab omnibus alijs sensibilibus naturis esse, cū alioquin ipse sit quoq; uirtus corruptibilis atq; mixtà corpori: sic ex eo adsumpto liceat inferre, quòd intellectus debeat esse natura distinctus à qualibet alia specie corporea. Præterea si ratio Philosophi demonstratiuè concluderet, omnino sequeretur, imaginatricem seu phantasticam uim esse perpetuam, immixtā, & immortalem: illatio probatur eadem Aristotelis demonstratione uidelicet: omne recipiens debet eius carere natura, quòd recipitur, at imaginatio recipit omnes species sensibiles, igitur eadē haud esse potest corporea uirtus atq; sensibilis. hîc profectò non datur (ut conijcio) locus fugæ, cogimur .n. fateri, satis esse, quòd imaginatio specie distincta sit à cæteris sensibilibus naturis, ut eas recipere queat: porrò cum eadem utrobiq; ratio militet, nempe tam in intellectu quàm in phantasia, sequitur inde colligi non posse, quòd intellectus immixtus sit &

incorporeus. Item si donemus illud idem Aristotelis ratiocinium esse demonstratiuum, necessariò consequitur, communem quoq; sensum atq; memoriam, insuper & cogitatricem facultatem, esse uires immixtas & incorporeas: quando pariter oẽs hæ potentiæ, & sensibiles recipiant quaslibet naturas, et agnoscant: Ergo cæcutiunt omnes penè Aristotelis interpretes, nempe ratiocinium istud: omne recipiens & quæ sequuntur, demonstratiuum esse putantes, quum probabile tantùm sit atq; dialecticum.

ALIAM PHILOSOPHI RATIOnem; qua probatur intellectus immortalitas, dialecticam pariter esse declaratur, non autem demonstratiuam. Cap. XIIII.

ALIVD Aristotelis ratiocinium, quo probatur immortalitas intellectus cùm tertio de anima, tùm libro secundo de generatione animantium capite tertio sic habet: omnis corporea uirtus utitur organo corporeo, dum operatur: Anima rationalis haud utitur organo corporeo quotiens intelligit, ergo non est corporea uirtus humanus intellectus. argumentum (ut patet) est in secunda figura. uerùm ut admittamus ultrò (quod dubio procul admittendum uenit) tanquam uerum ac omnibus euidens, maiorem huiusce ratiocinij propositionem:

nem, nempe uim quanlibet corpoream uti necessariò, dum exerit uires suas, hoc est, dum operatur, organo corporeo: ita ratiocinij secundū eiusdem adsumptum omnino fuerat Aristoteli probandum: scilicet intellectum organo minimè dum operatur, uti corporeo, non autē (quod ille factitauit) pro confesso subijciendū: præcipuè cū Plato præceptor olim suus, intellectum in cerebro tāquam in organo domicilioq; proprio, residere fuerit arbitratus, cuius parteis tuetur Galenus, cùm pluribus in locis, tùm præcipuè ubi de Platonis & Hippocratis decretis ex professo disserit: cuius præcipuum argumentum est, quòd læso cerebro (si læsio fuerit effatu digna) mens extēplò læditur. quòd si cuncta totius corporis membra lædantur, illæsum uerò maneat unum cerebrum, suo nihilosecius probè ratiocinatrix munere fungitur. at inquies, læso cerebro statim lædi rationem, non immediatè, sed ob læsionem uirtutum corporearum, in cerebro residentium, tanquam in arcè sedeq; propria: nempe sensus communis, imaginatricis uirtutis, præterea cogitatricis atq; mæmoriæ, siquidem omnes hæ uirtutes uelut ministræ deseruiūt intellectui. atqui uicissim adseruerabo rationalem uim esse corpoream in cerebro residentem, haud secus ac alij sensus interiores nuper enumerati: adhæc eundem intellectum esse ueluti sensum quendam interiorem, qui solis insit hominibus, uelut species eorū propria: quòd ij magis temperata præditi sint complexione,

quàm bruta: quodúe spiritus habeãt tenuiores ac lon gè puriores, utpote cùm ad cogitandum tùm præser tim ad intelligendum adprimè necessarios. huic opinioni uidentur ad stipulari, quæ Galenus in eo libel lo, cui titulus est, exhortatio ad bonas arteis, in initio statim, scriptis prodidit ad uerbũ inquiens: An
, animãtia que dicuntur bruta, prorsus rationis ex-
, pertia sint, nundum satis liquet, ubi demum aranearum atq; formicarum exempla subinfert. idem ferè colligere liceat ex libris de hystoria animalium, ubi mentionem facit elephantum, qui tantam agendo præ se ferunt prudentiam atq; (mihi liceat ita loqui) religionem, ut rationis participes esse uideãtur. Quam ob rem ratiocinium Aristotelis adductum, quo probatur immortalitas intellectus, dialecticum est atq; probabile, tantũ abest, ut demõstratiuũ censeri debeat: quandoquidẽ alterũ eius ratiocinij adsũ ptum, uidelicet iutellectũ organo nequaquã uti corporeo, dubiũ maximè sit et anceps adeô, ut adhuc nostra tẽpestate (de Physicis physicè loquor) lis sub iu dice (quod aiunt) pẽdeat: siquidẽ Galen. in libris de placitis Hippo. et Plato. dũ Platonis eiusdẽ decreta mordicus tuetur, ualidis ratiocinijs cerebrũ esse mentis humanæ (quẽadmodũ & sensuũ interiorũ, nẽpe sẽsus cõmunis, imaginatiõis cogitatiõis et memoriæ) præcipuũ instrumentum esse, simul ac immediatũ seu proximũ adstruit: idúe tacitè nobis indicans, eundẽ intellectũ esse quẽdã sensũ, cæteris licet lõgè puriorẽ.

QVAS

QVAS VIRES HABEAT EA Philosophi demonstratio, qua docetur Animam actum esse primum organici corporis, ostenditur. Cap. XV.

LIBRO de anima secundo Philosophus hoc pacto probat animam esse corporis organici perfectionem & actum, quam ipse uocat endelechiam, atq; ita ratiocinatur: Id quo primò uiuimus, sentimus, mouemur, ac intelligimus, est hominis endelechia: sed anima est eiusmodi, ergo corporis eadem organici perfectio fuerit & actus primus, seu species ac forma. Qui locum hunc interpretantur, aiunt hoc ratiocinium esse demonstrationem propter quid. Atqui parum sui memor Auerroes (hoc loco saltem) in commentatione magna, quam edidit in Aristotelis analytica posteriora, scriptum reliquit (idúe magno iudicio) nempe non omnium quæsitorum esse demonstrationem, sed eorum tantummodò quæ naturaliter nobis ignota sunt: adeô fuerit una demonstratio uel accommodatissimum ad scientiam rerum abditarum comparandam, instrumentum. si hæc uera sunt (ut certè sunt, quantum iudicio consequi licet) hic syllogismus minimè demonstratiuus fuerit, tantum abest, ut demonstratio causæ seu propter quid (quod demõstrandi genus perfectum est) ueniat adpellandus. Nanq; quòd hîc col-

ligitur atq; concluditur quæsitum, cunctis uel infantissimis, obuium atq; notissimum esse declaratur, scilicet animam organici corporis esse perfectionem & actum. Quotusquisq; enim est, qui uel ab incunabulis propemodum haud intelligat, animæ præsentia corpus animantium simul ac plantarum, & uiuere & operari: dein eiusdem absentia corpus illud idem qualibet organicum, orbari functionibus ac propria perfectione? corpus etenim & brutorũ & hominũ, prorsus organicum esse, uel ipse sensus ostendit, idúe nemine penitus commonstrante. quamuis enim pueri prorsus ignorent isthæc uocabula, nempe speciem, endelechiam, actum, & formam: tamen abundè rem ipsam norunt, scilicet inesse plantis uim quandam, qua nutriuntur et augentur, qua uirtute ab eo plantæ corpore diuulsa, plantam ipsam arescere, functionibus insuper eisdem, uidelicet cùm alimonia tùm augumento destitui, atq; ita plantam emori. Rursus ijdem pueri non ambigunt, animantibus præter altricem, ijsdem cum plantis communem: inesse quoq; facultatem aliam, quæ motum ac sensum edit, cuius absẽtia corpus animalis decoloratur et cõcidit adeò, ut ex animali, putre cadauer euadat: has porrò uirtutes uidelicet altricem, sensibilem, atq; motricẽ, quiuis uel infantissimus, etiã (quod dici solet) ab unguiculis, organici corporis esse perfectiones, statim ipso pene sensu iudice dignoscit: at quòd altrix potentia uel sensualis anima uocitetur, id à nutrice uel à paren

tibus

tibus condiscit. dein ubi iam adoleuerit infans aut puer, si Philosophiæ studio seipsum exerceat, tùm demum quî nutritio fiat in plantis & augumentum, ad hæc quî sensus & motus edantur in animalibus, insuper qui generentur cùm animalia tùm plantæ: isthæc omnia sanè pro uiribus expiscantur ab ijs, qui scientias profitentur, & ex ueterū præterea monumentis eruunt, harum uidelicet rerum intelligētiam. Quam ob rē nihil noui docere nos Aristoteles utiq; uideatur, quum animam organici corporis esse perfectionem hoc syllogismo docet (omnes enim hæ uoces: endelechia, species, actus, & forma, penitus idem sonant quod perfectio) quandoquidem cunctis indiscriminatim hominibus id notum sit, nedum difficile: quapropter quū id proponat. quod nulla prorsus eget docentis opera, uidelicet scientifica, quæ necessarijs hæret ratiocinijs: sed leuem fortassis duntaxat declarationem expostulet, quando uel absq; labore diutino sensim usu tandem innotescat, etiam (ut dictum est) infantissimis hominibus, immò pueris ipsis ac propemodum infantibus: sanè fieri nequit, ut illud idem quæsitum naturaliter ignotum sit. ergo si uera citato loco prædicat Auerroes, demōstratiuus minimè fuerit hic syllogismus. quî.n. obsecro quod omnibus euidens est, demonstraueris? At inquies: ergo Philosophus incassum id molitus est, temereq;, hoc est, præter rationem hanc suscepit prouinciam. Verumenimuerò propositiones primæ uel omnibus

notissimæ, nequaquam omnes axiomata seu dignitates fuerint, quas etiam proloquia quidam nominãt: quinimmò quasdam ex primo Posteriorum positiones adpellari constat, quæ scilicet quanuis omnibus uel pueris, nedum infantissimis hominibus adultis, admodum euidentes sint: haud tamen adeò claræ sunt, quin adhuc paruam declarationem exposcant adeò, ut uix doctrina dici mereatur, tantum abest, ut demonstratio nuncupari debeat. Accedit, quòd quidam Zenonem imitati negantem motum, contẽdunt animam esse corporis ipsammet temperiem, adeoq; non substantiam, sed accidens eandẽ adstruere uideantur. Quocirca nobis ut hanc opinionem forsitan radicitus euelleret, hoc syllogismo memoriam eius enunciati refricuit (ut sic dixerim) unâq; clarius illud idem ob oculos posuit, quò nimirum opinionis nouæ falsitas euidentius elucesceret. Verùm instabis forsitan hunc in modum: Vt donemus istud quæsitum esse naturaliter notum, ac demonstratione per consequens haud indigere, nempe corporis organici speciem esse animam, & actum: ita non inficiamur ignotum esse nobis naturaliter, eãdem animam eiusdem organici corporis actum esse primum: neq; enim sequitur, si quis percipit animam esse corporis actum, ut demũ ille statim agnoscat eandem corporis eiusdem actum esse (scilicet cum hac adpendice) primum: quando fieri possit, ut anima corporis organici physiciq; forsitan actus iure secundus dici debeat.

beat. Quid ais? nonne Philosophus actum primum, potentiam siue facultatem, aut uirtutem (quomodocunq; nominare uolueris, nil refert) à qua prodire solent opera, ac uelut è fonte (ut ita loquar) scaturire, nuncupat? nonne rursus idem, actum operātis siue opus atq; actionem ipsam, ab ipsa facultate manantem. actum secundū adpellat? amabô quotusquisq; est inscitiæ tam supinæ atq; adeô uecors, qui dormiens animal uiuere dubitet? si puerulum aut etiam infantem interroges, an uiuat quispiam aut dormiat, protinus respondebit hunc oppetijsse mortem, illum uerò dormire: quò fit, ut naturaliter, uel nullo præceptore suppetias ferente, discrimen inter mortuū atq; dormientem agnoscat. Proinde si suspicaretur animam actum esse secundum, hoc est, actionem atq; opus ipsum: profectò mortem oppetijsse uitaq; functum, animal dormiens existimaret, quando ferè nullas edat actiones, nullaúe sensus iudicio promat opera: atqui uel profundè dormiens animal, puerulus (immò fortassis etiam infans) opinatur animam possidere, animam igitur actum primum esse putat, non autem secundum. Itaq; patet animam esse physici corporis organiciúe, non modò simpliciter actū, uerumetiam actum primum: patet inquam utrunq; nobis esse notum secundum naturam, quando cunctis indiscriminatim hominibus, atq; puerulis id insit. Aristoteles autem huius enuntiati quantumuis noti naturaliter, propterea quod nō dignitas sed po-

sitio

ſitio ſit, ac per conſequens declaratione leui ſaltem indigent: præterea fortaſſis ut exiſtimantium animam haud eſſe ſubſtantiam, quin potius accidens: nẽpe complexionem atq; corporis temperamentum: ut opinionem inquam hanc famoſam, quanuis præter naturam inuectam arceret & ex hominum mentibus euelleret, animam eſſe corporis ſpeciem hoc ſyllogiſmo docuit.

INTELLECTVM HVMANVM eſſe non ſolùm incorruptibilem, uerùm etiam multiplicem iuxta Philoſophi ſententiam, apertiſſimè demonſtratur. Cap. XVI.

LIBRO primo huius operis elaborauimus, ut humanum intellectum à corruptione non ſolùm uindicaremus, uerùm etiam multiplicem ſtatueremus, idúe iuxta Philoſophi ſententiam. Proinde cum nuper in quendam Ariſtotelis eiuſdem locum inciderimus, ubi ſi aliâs unquam, apertè nobis oſtendere uidetur, quid nam hoc in negotio planè ſenſerit, nedũ indicare: prius quàm huic libro ſecũdo ſupremã manũ imponeremus, operæprecium eſſe duxi, hîc adſcribere, quæcunq; illinc excerpſimus, quò facilius ſimul ac euidentius unicuiq; pateat, quæ fuerit eiuſdem ſententia. Libro Ethicorum decimo, Philo-

Philosophus ita scriptū reliquit ad uerbum: Ana-
, xagoras quoq; non diuitem neq; potentem aliquē
, uirum, beatū existimasse uidetur: quippe qui di-
, xerit mirū sibi non futurum, si multitudini absur
, dus & ineptus quidā esse uideatur. Hoc enim ex
, rebus externis iudicat, propterea quòd has tantùm
, sensu percipit. Atq; his rationibus, sapiētum opi-
, niones congruere uidentur. Habent igitur aliquid
, etiam talia, quod ad faciendā fidem ualeat. Verùm
, quotiēs de ijs quæ sub actionem cadūt, quæritur, ex
, factis & uita ueritas iudicatur. In his n. uis actio
, num præcipua consistit. Ita igitur ea quæ antè di-
, cta sunt, spectare oportet, ut ad facta uitāq; refe-
, ramus: & si cum factis consentiant, probanda: sin
, dissentiant et discrepent, uerba sunt habenda. Qui
, uerò muneribus fungitur mēti consentaneis, et hāc
, colit, estq; ita animo adfectus: eū probabile est deo
, charissimam esse. Nam si Dij immortales curā ha-
, bent rerū humanarū, quemadmodū uerisimile est,
, illud quoq; probabile fuerit, eos re omniū optima,
, sibiq; maximè cognata delectari (hæc autē mens
, est) ijsúe qui hanc maximè diligūt, & plurimi fa-
, ciunt, præmia persoluere gratiamq; referre: ut-
, pote qui eorū, quæ ipsis chara sunt, curam habeat,
, rectasúe atq; honestus actiones obeant et exerce-
, ant: hæc autē omnia in sapiente inesse maximè nō
, est obscurū. Est igitur Deo charissimus, eundemq;
, beatissimū esse uerisimile est. Itaq; sapiens hoc mo-

do

do beatissimus est futurus. hactenu s ad uerbum Aristoteles, ex quibus luce meridiana clarius elucescit, modò quispiam attentius singulas (quæ nuper adductæ sunt in medium) sententias perpendat: euidenter inquam ex adductis patet, Philosophum omnino putasse, mentem humanam esse non solùm immunem à corruptione, uerùm etiam multiplicem, quemadmodum & eiusdem corpora, quibus obstringitur, multiplicia uel ipso sensu iudice dignoscuntur. Primùm etenim Aristoteles loco citato, quotiens de ijs, quæ sub actionem cadunt, quæritur: ex factis & uita ueritatem iudicandam admonet, non autẽ ex uerbis, cum dicat: Ita igitur ea quæ antè dicta sunt (scilicet quæ ad actiones pertinent) spectare oportet, ut ad facta uitãq; referamus: & si cum factis cõsentiant probanda, sin dissentiant & discrepent, uerba sunt habẽda. hinc clarè liquet, uel Aristotele teste simul ac iudice, rationalem facultatẽ cùm æternam esse tùm multiplicem, quando constet homines probos: quippequi non uerbis, sed uitæ sanctitate factisúe preclaris, indicasse nobis intellectum humanum, & immortalem esse & multiplicem. Secũdò inquit Philosophus: Qui uerò muneribus fungitur mẽte consentaneis, & hanc colit, estq; optimè animo adfectus: eum probabile est Deo charissimum esse Dij boni, si anima foret in omnibus hominibus unica (quod fingit Auerroes) quî particularis homo quispiam, rerum diuinarum humanarumúe

contem-

contemplationi deditus, ſimul ac uita probus & ſanctus, Deo chariſſimus eſſe poteſt? quî enim anima propria carētem rationali diligere poteſt Deus? Atqui Deus (Philoſopho teſte) rectè uiuentes atq; muneribus fungentes menti conſentaneis diligit, ergo particulares homines, particularem habent intellectum, à cæteris hominibus diſtinctum. Item ſi Dij immortales (eodem adſertore) utpote curam habentes rerum humanarũ, cum delectentur mente, tanquam re ſibi maximè cognata: ſi Dij inquam immortales ijs, qui mentem maximè diligunt & plurimi faciunt, præmia perſoluũt gratiamúe referunt: quòd ſcilicet eorum, quæ ipſis chara ſunt, curam habeant rectasúe atq; honeſtas actiones obeânt atq; exerceant: ſi hæc inquam ita ſe habent, ſcilicet quòd rectè uiuentibus præmia Dij perſoluãt gratiamúe referant: quî poteſt non eſſe noſter intellectus particularis atq; multiplex & immortalis? ſi non multiplex, ſed unus tantùm intellectus eſt in omnibus hominibus, quorsũ adtinet huic uel illi præmia perſoluere? quorsũ adtinet rurſus eidem gratiã referre? præterea ſi præmia dãtur ijs, qui mentẽ colunt, quî obſecro mentẽ coluero, quam non habeã? quæ præmia debentur alicui, ſi nullum eius eſt meritum? etenim ſi noſter intellectus eſt unicus, idem pro cuiuſuis particularis organi temperie rectè contemplatur aut agit: unde ſi gloria lauſq; (quod iuſtum eſt) efficienti cauſæ debetur, non autem materiæ, quæ tantùm recipit profectò

ctò præmium uni uenit persoluendũ intellectui, non autẽ hominibus particularibus: quippequi in actionibus, materiæ tantùm uices gerunt & organi, idq; si semel unica rationalis facultas ĩ omnibus hominibus statuatur. præterea subintulit Aristoteles, hominẽ sapientem, seu mentẽ (ut eius utar uerbis) colentẽ: beatissimũ, hoc est (ut ego quidẽ interpretor) felicissimũ esse: obsecro quæ felicitas esse potest hominis, rationali facultate propria carẽtis? quid mihi prodest animæ illius unicæ beatitudo, si paulò post futurus sim nihil? quæ demẽtia foret Aristotelis, si nos beatissimos, hoc est, felicissimos euadere posse speraret aliquãdo, simul ac nostri nihil (ubi semel ex humanis decesserimus) superesse prorsus arbitraretur? dic sodes, quæ maior cõtradictio fingi, nedũ efferri potest, quã quòd homo mortalis sit, siue (ut melius dicam) quòd homo propria careat mente, qua superesse possit ab interitu corporis, & quòd idem unâ sit beatissimus?

PROBATVR HVMANVM INTELLECTUM *iuxta Philosophi sententiam, habere propriũ opus, ac per consequens à corruptione uindicari.* Cap. XVII.

LIBRO *decimo Ethicorũ Philosophus ita scriptum reliquit: Sed actiones multa desyderant eoq; plura & maiora, quò maiores &*

, & clariores. At homo is qui in rerum cognitione
, uersatur, res eiusmodi ad actionem nihil requirit,
, quinetiam uerè ut dicam, impediunt contemplatio
; nem. Sed tamen quia homo est, uitaq; usu cum mul
; tis implicatur, ut officia sequatur, idcirco his ei opus
, erit, ut more hominum uitam possit degere. Hanc
; autem undiq; completam & absolutam beatitudi-
; nem in actione quadam esse cognitionis & contẽ-
, plationis, hinc etiam perspici potest. Deos enim pu
; tamus esse beatissimos: quas tandẽ ijs actiones, quæ
; officia tribuemus? Num iustitiæ? At nonne ridicu
; li uidebuntur, si & res contrahant; et deposita red
; dant, cæteraq; faciant eiusdem generis? An for-
; tes dicemus eos, qui res asperas perferant, pericu-
; laq; adeant ob eam causam, quia deceat? Num li
, berales? At cui largientur? Absurdum etiã ui-
, deatur, si minimum, aut tale quid habeant. An ue
, rò tẽperantes? At quî esse possunt? An non laus
, sit uiolenta & importuna, prauis eos uacare cupi
, ditatibus? Atquî si per omnia actionum officio-
, rumq; genera expaciemur, perexiguam sanè lau-
, dem, & Deorum maiestate indignam continere ui
, debuntur. Attamen eos uiuere omnes existimant.
, Agere ergo eos putant. Non enim par est, eos
, tanquam Endymionem, dormientes facere. Subla
, ta igitur agendi, faciendiq; ac multò etiam magis
, ratione, quid tandem uiuenti Deo præter contem-
, plationem relinquitur? Ita Dei præstans beatitu-

dine actio in cognitione & contemplatione consi-
stat, necesse est. Atq; etiam hominum actio, ut
quæq; ad hanc proximè accedit, ita est beatissima.
Idq; ex eo intelligi potest, quòd cætera animalia
sunt omnia beatitudinis expertia, cū huius sint ge-
neris actione omnino priuata. Nam omnis est Deo
rum beata uita; hominum autem quatenus in ea
elucet quoddam eius actionis exemplar. At ex
cæteris animantium generibus nullum beatitudinē
consequitur, quod cognitionis & contemplatio-
nis nullo modo sit particeps. Quàm ergo latè patet
contemplatio, tam etiam beatitudo: & quò maior
aliquibus inest cognitio & contemplatio, ea am-
pliorem beatitudinem consequuntur, non temerè
& casu, sed cōtemplatione. Est enim per se plena
dignitatis. Ita est in contemplatione beatitudo.
Hactenus ad uerbum Aristoteles, Ex quibus pa-
têre arbitror eundem omnino uoluisse contempla-
tionem seu intelligentiam, esse proprium opus in-
telligentiarum immortalium, simul ac idem opus in
esse pariter homini, & per consequens eam homi-
nis portionem, qua contemplatur & intelligit, à
corruptione penitus uindicari.

ANDR.

ANDREAE CAMVTII Theoricam ordinariam in Gymnasio Ticinensi publicè profitentis.

De Humano Intellectu Liber Tertius.

DECEM RATIOCINIA SANCTI Thomæ in prima par. q. 75. art. 6. in. 2. cõtra Gen. cap. 78. 79. & 82. quibus docetur incorruptibilem esse humanum intellectum, nequaquam demonstrare conuincitur. Caput primum.



ANCTVS Thomas decem ratiocinia commentus est, quibus immortalitatem intellectus humani demonstrare se putat, cum alioquin rationes tãtùm uerisimiles sint atq; probabiles, quarũ prima sic habet: Omnis substantia intellectualis est incorruptibilis, anima rationalis est eiusmodi, ergo. respondetur non constare hactenus ex ratiociniis Aristotelicis, rationalem animã intellectualem esse substantiã: quanquã hoc ipso opere, quòd intelligere uidetur intellectualis adpellari potest: Verumenimuerò sicut bruta quãplura (ut ex hysto

ria patet animalium) ex operibus quandam præ se ferunt rationem ac intelligentiam, cum alioquin nec rationalia nec intelligentia iure (scilicet propriè loquendo) dici possint: ita nimirum humanus intellectus quamplurimis (sicut Alexandro Aphrodiseo eiusúe sectatoribus) Philosophis imago uisus est atq; simulacrum intellectualis substantiæ, potius quàm intellectualis substantia: cuius quidem rei magnum est argumentum, quòd nihil intellectus noster intelligat, præter id, quod sensus nostri passim illi suggerunt atq; subministrant: præterea dum illud idem, quod ei sensuum suffragijs tributum est, adprehendit, illud idem inquam obscurè percipit & intelligit: nec tutò quidquam eorum quæ cognoscit, sibi polliceri potest, ni cum sensatis conueniat. proinde (inquient aduersarij) si noster intellectus uera foret intellectualis substantia, & clarè cerneret quod intelligit, quemadmodum superiores intelligentiæ: quippe quibus optimo iure nomen competit intellectualis substantiæ, præterea dum intelligit, minimè suffragijs sensuum indigeret. Magnus Galenus in exordio libelli cui titulus est, Exhortatio ad bonas ar-, tes, ita scriptum reliquit: An animantia, quæ di-, cuntur bruta, prorsus rationis sint expertia, nun-, dum satis liquet. dein admiranda subnectit multorum brutorum opera, quibus facilè quispiam adduci possit, ut eadem esse rationalia atq; intelligentia certò credat, tantùm abest, ut illud idem suspicetur: ita

ita nimirum usu uenire quispiam fortassis crediderit: nẽpe ut dum intellectus humani cognitionẽ præ cæteris, quæ sub lunæ globo fiũt operationibus admirandam contemplamur: mox eandem intellectualẽ esse certò credamus, aut saltem opinemur. quam obrem isthæc ratio sancti Thomæ, quum alteram præmissarum, non dignitatem aut positionem, quin potius demonstratione indigentem, & nobis incognitam prorsus adsumat: demonstratio minimè uenit adpellenda, sed probabilis tantùm atq; dialectica ratiocinatio: præsertim cum prima saltem fronte multò uerisimilius atq; probabilius sit, eam substantiam, quæ (quantum sensus iudicio consequi possumus) & hæret fixa materiæ, et sine mole corporea uires suas exerere nequit: probabilius est inquam hanc eandẽ substantiam, esse occasui interituiq; obnoxiã, quàm intellectualem, & ab omni corruptione prorsus immunem.

SECVNDA SANCTI THOMAE *ratio conuellitur. Cap. II.*

SECVNDA *ratio sancti Thomæ, qua rationalis animæ defenditur immortalitas, sic habet: Nihil ex eo corrumpitur, in quo consistit sua perfectio, at anima rationalis in abstractione quadam à corpore perficitur: quando eam*

& scientia & uirtute perfici constet: adhæc secundum scientiam tantò magis perficitur, quantò magis immaterialia consyderat: secundum uirtutē uerò quantò magis corporis passiones nō sequitur, easq; ratione refrenat, ergo non corrumpitur ex hoc, quòd à corpore separetur (subdit) Nec dicatur quod animæ perfectio, in separatione consistat à corpore per operationem, corruptio autem in separatione secundum esse, quoniam operatio sequitur & demonstrat esse, hæc ille. Ad euersionem huius syllogismi supponendum uenit imprimis, omnem uirtutem abstrahentem ad certum usq; terminum abstrahere, quem præterire suapte natura propriisq; uiribus haud potest: exempli gratia, sensus communis si cum exterioribus conferatur sensibus, abstrahere meritò dici queat, quando suscipiat in se puriorem sensibilis exterioris speciem, quàm in externo sensus exterioris organo recepta prius fuerit: à materia siquidem abstrahi dicitur, quotiens ab ea separatur, proinde quò magis ab ipsa remouetur seu diuellitur, eô magis abstrahi dicitur. quapropter sensibilium imagines in sensu cōmuni receptæ, quum minus materiales sint, quàm in organis exteriorum sensuum fuerint, abstractæ meritò nuncupantur: unde species eædem ubi à cōmuni sensu ad imaginationem migrauerint, materiæ fecem atq; sorditiē magis exuunt, quò fit, ut magis abstrahere credàtur imaginatrix facultas, quàm

quàm sensus communis. item species eadem si ab imaginatione ad cogitatricem uirtutem transferatur, dein ad memoriam: multò magis squalore situúe corruptibilis materiæ spoliatũ iri, ratio naturalis dictat, ac per consequens maiorem in hisce potentijs ultimis abstractionem offendi, res ipsa palã loquitur. Quorsum hæc? quum omnes hæ uirtutes interiores (ut suppositum est) abstrahant, & earum unaqueq; certos abstractionis suæ limites nanciscatur natura duce, quos singulis facultatibus excedere nefas est: ita profectò noster intellectus, quum uirtus sit, si non immortalis, saltem longè purior interioribus sensibus: æquum est, ut idola seu simulacra rerum sensibilium, continua quadam serie à sensibus exterioribus, ad interiores sensus peregrè profecta: æquum est inquam, ut eædem imagines, ubi sensim uiliores materiæ condictiones exuerint atq; deposuerint, ut agentis intellectus opera (quippequi uirtutum atq; facultatum omnium in homine perfectissima est) iustum est inquam rursus, ut eiusdem agentis intellectus beneficio, isthæc eadem idola seu imagines tandem, si penitus à materiæ corruptibilis labe situq; uindicari non possint: ut saltem quatenus & agentis intellectus, & materiæ corruptibilis infirmitas imbecillitasúe permittit, ad supremum puritatis culmen proueherantur. itaq; si ratio sancti Thomæ concluderet, nempe quicquid abstractione perficitur, eô magis perfici, quô maior est abstractio: sequere-

tur, quòd sensus communis, supposito quòd tantám moliri posset abstractionem, quantam cogitatio uel memoria: sequeretur inquam hoc casu, sensum cõmunem euadere sua natura perfectiorẽ: Atqui sensus communis sic agendo (supposito quòd istud agere possit) mutaret speciem, uel nõ foret amplius cõmunis sensus, sed phantasia, uel cogitatio, ac per consequẽs seipsum destrueret: ergo ea enuntiacio uidelicet: anima rationalis in abstractione perficitur à corpore, et quantò magis abstrahit, tantò magis perficitur: isthæc inquam enuntiacio, si uera esse debeat, hoc pacto uenit intelligenda: nempe quò magis abstrahit, & immaterialia consyderat, eô magis perficitur: modos illud quod adpellas magis abstrahere, pomæria (ut ita loquar) humanæ rationis haud transcẽdat. nanq; sicut uirtutes sensuum interiores, certum à natura præscriptumúe possident abstractionis gradum, ita & intellectus pariter seu anima rationalis, quò magis corporeas passiones nõ insequitur, itidem quò magis easdem ratione refrenat, eô magis perficitur: utiq; rectè dictum sit, modò rationis imperium in sensus eô tyrannidis non ueniat, ut eosdem sensus non modò compescat: ne fortassis temerè uelut ebrij contra dominam rationẽ obstrepant, atq; præter compositi naturam totius, eam interturbẽt: si rationalis inquam potẽtia non modò sensuum tumultus (quod naturale est) ueluti mancipia cohibeat, sed in eosdẽ ultrò (quod præter naturam est totius compositi)

sæuiat

sæuiat. sanè noster intellectus hallucinatur atq; cõmittit erratum eo casu, tantum abest, ut perficiatur, quandoquidem sepenumerò corporis passiones sequi tenetur, nedum detestari. adeô falsa prorsus enuntiacio fuerit, si absolutè atq; simpliciter efferatur: nempe rationalem animum tantò magis perfici, quãtò minus corporis passionibus obsequitur & obtemperat. ergo ut eô reuertamur, unde nostra fluxit oratio, dum ait sãctus Thomas: Nihil ex eo corrũpitur, in quo sua perfectio consistit, hoc lubens admitto, uerùm quando postmodum adnectit: At anima perficitur in abstractione quadam à corpore, respondeo (ut semel aduersarios hoc loco pro uiribus tuear) intellectum humanũ abstractione quidem perfici, non absolutè quidem atq; simpliciter, hoc est, non abstractione quauis: sed certo determinatoue, quod secundum naturam transcendere nequit, abstractionis genere: quemadmodum & interiores sensus (quod mehercules paulò supra retulimus) omnes, in abstractione quadam à corpore perficiuntur: quæ tamen abstractio, ad certum usq; terminum exporrigitur, neq; ultra fines illos, suas excrere uires possit. Quam ob rem quòd intellectus abstractione perficiatur, hoc argumento nequaquam eiusdem immortalitas demõstratur, alioquin hoc pacto phantasia, sensus communis, atq; cogitatio, potentiæ forent ab omni corruptione penitus immunes, quum in abstractione quadam sua consistat perfectio. Cæterùm si

debeat animæ rationalis immortalitas abstractionis medio probari, dubio procul oportet demonstrari rationalem intellectum, eô dum intelligit, abstractionis uenire, ut omnes examussim eliminet materiæ conditiones atq; expungat: quod profectò hactenus (quod sciam) nemo præstitit, quanuis illud ipsum omnes penè qui de rerum natura loquũtur, pro confesso subijciant.

TERTIAE RATIONIS INFIRMATIO. Cap. III.

PERFECTIO *(inquit sanctus Thomas) debet esse perfectibili proportionata, sed hominis perfectibile seu intellectus humanus, est uniuersale, quod est æternum, igitur intellectus qui perficitur, est æternus. In hoc aggere demoliẽdo, repetendum est altius ac disquirendum uenit adamussim, quænam uniuersalis esse credatur essentia. etenim iuxta Peripatheticorum omnium præcipuè classicorum sententiam, inter quos in hac materia præsertim, unus Alexander Aphrodiseus eminet: uniuersale quanquam humani fabrica est intellectus, in rebus attamen exterioribus, basim ac fundamẽtum sortitur; nanq; res ipsæ naturales siue accidentia sint, seu substantiæ: dum earum natura, seclusa qualibet alia adpendice (idúe solius intelligentiæ*

gentiæ munere, quandoquidem res nusquam reperiantur simplices) animo concipitur, uniuersale fit: cum alioquin extra intellectum, uidelicet in natura rerum, eiusdem rei natura propter materiæ connexionem, particularis esse deprehendatur: quò fit, ut ipsum uniuersale nil aliud sit, quàm rei exterioris imago atq; simulacrum; quod in initio libri Periermenias adpositissimè Philosophus adnotauit, inquiens animi conceptiones, hoc est, uniuersalia, rerum ipsarum, esse similitudines. itaq; cõstare arbitror uniuersalia, quatenus intellectus humani figmenta sunt, esse penitus accidentia, quamuis ratione radicis rerum externarũ, unde deducta sunt, substantiæ sint uel accidentia realia, quum res uerè sint naturales. Quam ob rem quũ uniuersalia quatenus uniuersalia, hoc est, quatenus essentiã in animo possident, minimè res naturales sint, quin potius rerũ naturaliũ idola: sequitur luce meridiana clarius, ut eatenus accidẽtia sint, eaq; nõ naturalia, sicut albedo, calor, uel alia id genus: sed accidentium naturalium aut substantiarũ ceu umbræ sint, siue (quod Aristoteles ait) similitudines. his itaq; ueluti basi quadam atq; substerniculo subiectis, ratiocinor hunc in modum: uniuersalia quanquam eatenus æterna sunt, quatenus in natura rerum ob continuam successionem passim offenduntur, nihilominus eadem uniuersalia quatenus in anima sunt, id est, quatenus uniuersalia sunt, accidẽtia esse manifestò deprehendũtur: eaũe (quod

ſupra dictum eſt) non naturalia ſed accidentium & ſubſtantiarum naturaliúm umbræ tantùm & imagines fuerint, ac per conſequens omnium uiliſſima penitus accidentia, quæ ſingulis penè momentis oriuntur atq; gignuntur in animo: idúe ſenſuum interuentu partim exteriorum, partim interiorum atq; famulatu. itaq; ut eô reuertar, unde noſtra paulò antè fluxit oratio, hunc in modum ratiocinor: uniuerſalia quatenus uniuerſalia, oriuntur: ergo fatiſcunt, ſiquidem quæ apud naturæ ſtudioſos promiſcuè uulgatiſſima eſt poſitio, quicquid generatur, corrumpitur. quî igitur uniuerſale, quum in anima nuper genitum ſit, æternum dici poteſt? præterea nonne ſciẽtias ac uniuerſalia per conſequens, ex quibus artes & ſcientiæ conſtantur, ob egritudinem maximã ex animo caſſari penitus, atq; deleri uelut imagines in cera delineatas, experientia conſtat? adeô fugiũt, ex animoq; radicitus nõnunquã euellũtur, ut uel longa meditatione redire, reuocariúe nequeant amplius ad memoriam. Quam ob rem ſi Philoſophus alicubi fortaſſis uniuerſalia, æterna eſſe confirmat, cum alioquin quatenus uniuerſalia (quod probatum eſt, quoniam uiliſſima ſunt accidentia) corruptioni uarijs ex cauſis obnoxia deprehendantur: dubio procul eadem æterna fatetur hac una ratione, quatenus eſſe perpetuum in rerum natura, propter continuam ſucceſſionem obtinent. Cæterûm eadem facilitate quarta penitus è medio tollitur eiuſdem ratio, quæ ſic habet:

, *bet: Omne quod recipitur (inquit sanctus Thomas) secundum modum eius recipitur, in quo est: formæ uerò rerũ in intellectu possibili recipiuntur, quatenus actu sunt intelligibiles, idcirco uniuersales, ac per consequens immateriales & incorruptibiles. huic obiecto facilis respõsio patet ex superioribus, siquidem formæ rerum actu quanlibet intelligibiles, qua facilitate gignuntur in animis, eadem quoq; corruunt atq; fatiscunt.*

QVINTAE RATIONIS INFIRmatio. Cap. IIII.

, *ESSE intelligibile permanentius est quàm esse sensibile, sed prima materia seu primum subiectum sensibilium est æternum: ergo multò magis primum subiectum intelligibilium erit æternum, uidelicet intellectus possibilis. hæc ille. Diximus aliâs, quod denuo repetimus, intellectum dialecticè probabiliterúe iuxta Galeni sententiam, cùm pluribus in locis, tùm in eo libro precipuè, cui titulus est: Quod animi mores insequantur corporis temperiem (quanquam alibi fatetur se penitus ignorare nunquid anima rationalis caduca sit, an perpetua) diximus inquam aliâs humanum intellectum probabiliter atq; uerisimiliter uideri sensum quendam interiorem, genere cum cæteris eundem*

dem, ſpecie uerò diſtinctum atq; puriorem : proinde ſpecies (hoc ſuppoſito) intelligibiles minimè caruerint adamuſſim materiæ conditionibus, ac per conſequens intellectus noſtri cognitio, propriè nequaquã intelligentia, quin potius ueræ fuerit intelligentiæ ſimulacrum & imago : cuius quidem rei uel illud non leuem adfert ſuſpicionem, quòd perpauca quæ mens humana certò cognoſcat, reperias, ſi prima ſemel excluſeris principia, ſeu primas enuntiaciones, quas Græci paſſim axiomata, Latini uerò proloquia ſeu dignitates uuncupant : cætera demum, quæ primis ex principijs humana mens deducere per diſcurſum et elicere conſueuit, adeô ſunt incerta ſæpenumerò, ut quàndoq; uel eruditiſſimis imponant : ſcilicet demonſtrare ſe putantibus, cum alioquin uix probabiliter quidquam colligant. Quocirca ſi nundum conſtat rationalem facultatem ſubiectũ eſſe ſpecierum intelligibilium, quando dubium adhuc ſit, an eius cognitio uera ſit intelligentia, aut idolum atq; ſimilitudo ueræ potius intelligentiæ : quòd nimirum ea quæſtio ſit nobis incognita naturaliter, nec à quopiam hactenus explicata, uidelicet eo demonſtrationis genere, quod ſcientiam parturit : Si nundum inquam patet humanam mentem certò ſubiectum eſſe ſpecierũ intelligibiliũ, quî primum eandẽ (obſecro) ſubiectum earundem ſpecierum intelligibilium adſer ueris ? Itaq; ſubiectum eſſe & primum, animæ rationalis portionẽ (quæ paſſiuus intellectus dicitur)

ſpecie-

ſpecierum intelligibilium, minimè pro confeſſo uenit ſubijciendum uelut omnibus euidens (quod ſanctus Thomas hoc ſuo ratiocinio feciſſe uidetur) cum ſit naturaliter incognitum: quin potius demonſtratiuo ſyllogiſmo firmandum erat. Præterea ut abſq; demonſtratione condonemus, humanam mentẽ intelligibiles uerè ſpecies recipere, ſimul ac intelligere: ita probari poſſe ueriſimiliter atq; dialecticè dari ſuperiorẽ aliã intelligẽtiam, quæ primò ſpecies recipiat ſenſibilium corporũ intelligibiles, nequaquã imus inficias. Quare hoc ſuppoſito mens humana, ſecũdum ſubiectũ potius intelligibilium ſpecierum uenit adpellanda, quòd eas auxilio ſuperioris intelligentiæ ſecundariò, in qua prius fortaſſis receptæ fuerãt, ſuſceperit, ſcilicet modo nobis incognito, quod probabiliter ſic oſtẽditur: ex interpretibus Ariſtotelis, qui ſequũtur Alexandrũ Aphrodiſeum, agentẽ intellectũ rationalis animæ partem eſſe negant, ac eundẽ eſſe Deum uel aliam ſuperiorem intelligentiam contenduut, cuius opera beneficioq́, phãtaſmata totam adamuſſim exuant materiem, & ſpecies euadant intelligibiles, quò ſic ab intellectu paſſiuo tandem & recipi et intelligi queant, quibus ſuppoſitis ita ratiocinor: illa ſuperior intelligentia, quæ depurare (ut recentiorum aliquando uerbis utar) phantaſmata creditur, ueriſimiliter ſpecies nuper factas intelligibiles, prius intelligit, quàm agnoſcantur ab intellectu poſſibili: ac nihil probibet, quò primus eaſdem quas intelligit,

recipiat

recipiat, dein earundem similitudinem intellectui lar giatur possibili: nil prohibet inquam, quò minus ea su perior intelligentia species easdem primò recipiat & agnoscat, quando depuratæ sint (uidelicet abdicata materiæ deformis caligine penitus uniuersa) & per consequens intelligentiarum naturæ similes iam eua serint: dein ubi cognouerit, easdem indat intellectui possibili, scilicet ut earum interuentu possibilem eundem intellectum, utpote rudem ac potentiæ mole obrutum illuminet. Ergo ratio sancti Thomæ, cum incognitum (ne dicam falsum) adsumat, probabilis tantùm fuerit atq; dialectica, nõ autem demonstratiua. Nanq; demonstrationũ ea lex est, ut earũ adsumpta seu præmissæ, propositiones immediatæ sint (dignitates siue proloquia fuerint an positiones nihil refert) aut saltem si mediatæ fuerint enuntiaciones, easdem per aliam demonstrationẽ probatas esse constet. porrò neq; Philosophus nec alius quisquam eius interpres (quod sciam) hactenus demonstratiuè probauit species passim uocatas intelligibiles, omnibus adamussim destitui materiæ condictionibus, ac per consequens nundum patet intelligibiles easdem uerè dici posse species: propterea nec quòd humanus intellectus subiectum sit specierum intelligibilium, hoc est, quæ uerè species intelligibiles sint, nundum adparet, tantum abest, ut eundem intellectum earũdem specierum subiectum esse primum, euidens sit.

SEX-

SEXTAE RATIONIS DESTRV-CTIO. Cap. V.

„ FACIENS est honorabilius facto, sed in-
„ tellectus agẽs facit intelligibilia in actu, quæ
„ sunt incorruptibilia, ergo multò magis ipse
„ erit incorruptibilis, & per consequens anima, cu-
„ ius ipse est lumen. Hoc ratiociniũ pro confesso sup-
ponit agentem intellectum producere proprijs uiri ribus uniuersalia actu intelligibilia, quæ prorsus om nibus materiæ condictionibus careant, ac per conse-quens incorruptibilia sint: quod quia superius falsum esse satis superq; (ni fallor) probauimus, non est, cur illud idem incassum inutiliterúe denuo repetamus. Præterea supponit aliud quiddam, nempe quicquid ab æterna substantia producitur, æternum esse necessariò: quod quidem ut à plurimis adseueratũ esse constat, ita neminem hactenus illud idem demonstrasse, non diffitemur. Atqui ne fortassis id genus homi-nes, quibus hoc plus iusto placitum adridet, classico rum aliquot Philosophorum nudis authoritatibus supercilium attollant, Platonem atq; Plotinum de re-bus diuinis diuinè loquentem, quem (ut Ioannis Pici Mirandulæ uerbis utar) sudantes Platonici uix intelligunt: Platonem inquam atq; Plotinum in ius uoco, quibus placuit ea quæ proximè à Deo, utpote prima rerum causa immediateq; proficiscuntur, atq; (ut sic dixerim) uelut è primo rerum fonte scatu-

riunt:

riunt: placuit inquam ijsdem Philosophis, isthæc æterna fore necessariò: unde Philosophus idem in Timeo mentes & animas ab omni corruptione penitus immunes adseuerat, hác una ratione potissimùm, quòd à prima rerum causa proximè ac immediatè prodierint: corpora uerò idcirco corruptibilia esse cõtendit, quòd ab animis substantiarum abstractarum ultimis immediatè fluant atq; generentur: hoc porrò Theorema uel hac ratione fulciri queat, quòd radij solares simul ac cæterorum astrorũ, ab astris effluãt, cum alioquin (ut patet) suapte natura & oriantur & occidant. eodẽ modo lumen quoduis siue id à corpore corruptibili seu ab incorruptibili (quale cœlum esse pntat Aristoteles) proueniat, omnino & incipit, & certis temporibus fatiscit: adeô falsum esse liquidò adparet, scilicet æternum esse, quod immediatè ab æterna substautia dependet. ijs itaq; suppositis, integra sancti Thomæ ratio corruat, oportet; nanq; dum ait: intellectus agens utpote faciens, ac facto per consequens honorabilior, intelligibilia in actu producit, quæ sunt incorruptibilia: falsum adsumit, quando nec uniuersalia actu intelligibilia, incorruptibilia esse constet, quanuis omnes peripathetici turmatim hoc ipsum adserant: præterea nec illud planè sit euidens, uidelicet æternum esse quodlibet, quod ab æterna substantia uel immediatè proficiscitur; hoc ipsum licet quanplures adseuerent. Cæterûm huiusce Theorematis consyderationem atq; discussio-

nem,

nem, in quartum & ultimum huius operis librum consultò reijcimus, quippequi per transennam hoc loco tantùm obiterúe, scilicet quatenus præsens negotium poposcit, eius decreti meminimus.

SEPTIMAE RATIONIS CONFVTATIO. Cap. VI.

OMNIS forma corrumpitur uel ob subiecti corruptionem aut causæ, sed animæ nihil est coutrarium: præterea non habet subiectum in organo corporeo, ad cuius corruptionem corrumpatur: neq; ad corruptionem causæ; quia uenit deforis, & non educitur de potentia materiæ, hæc beatus Thomas. Qui dicit probare debet, quod per omniũ passim ora circũfertur, ac publica ferè præconis uoce promulgatur: etenim dũ inquis, anima non habet subiectum nẽpe corporeum organum, malim huiusce enuntiati nudam demonstrationem, quàm centum Philosophorum phaleratas authoritates, præsertim cum ijsdem, unâ cum Platone Galenum è uestigio opponamus adseuerantem, in cerebro tanquam in arce rationalem animam residere; præterea rationalem eandem facultatem uenire deforis, ut Aristoteli facilimum fuit efferre, ita firmare demonstrationibus illud idem (quod eundem haud præstitisse supra libro secundo

monstrasse confidimus) hoc opus, hic labor est. adeò fuerat istud probandum, non autē in syllogismo; adsupti seu præmissæ loco sumendum. item quod ait; animæ nihil est contrarium, quid tum? neq, cæteris compositorum speciebus perfectis contrarium quidpiam reperias, cum alioquin easdem abundè corruptibiles esse manifestò pateat; quando satis superq; sufficiat, ad formas mixtorum demoliendas, una primarum qualitatum contrarietas: quippe quæ cæteris compositorū collatæ speciebus, materiæ uices gerunt: adeò qualitatibus elementorum utcunq; refractis, in compositione mixtorum, qualitatibus inquam iisdem mutuò certātibus: ubi iam eò dissidij uenerint, ut earum una uel plures destruantur, mox è medio sublatum iri compositi speciem, experientia (cui ratio subscribit) palàm admonet.

OCTAVAE RATIONIS INFIRMATIO. Cap. VII.

ANIMA non debilitatur debilitato corpore nisi per accidens, id est, ob debilitatione nem ipsorum organorum: quia si per se debilitaretur, haud restauraretur reparatis organis, cuius contrarium uidemus: unde Philosophus primo de anima textu cōmenti. lxv. si senex (inquit) acciperet oculum iuuenis, utiq; cerneret ut iuuenis:

nis: ergo nec corrumpitur ad ipsius corruptionem, quum intellectus præsertim nec per se debilitetur, neq; per accidens, cum organo non indigeat: si uerò in ipsius operatione sit fatigatio, non est respectu ipsius, sed respectu uirtutum quibus indiget: cogitatiuæ uidelicet, imaginatricis, & memoratiuæ; hæc ille. primùm hæc ratio delinquit, quia supponit animam non debilitari debilitato corpore nisi per accidens, quoniam inquit: si per se debilitaretur, non restauraretur organis reparatis. At quid ais? nunquid quòd organo plantæ, quod prius ab externa uel ab interna quapiam causa debilitatum fuerat (ut beati Thomæ uerbis utar) quòd organo plantæ inquam aliâs imbecillo, nunc autem agricolæ diligentia reparato uegetatrix facultas instauretur: nunquid propterea iure dixeris uegetatricem facultatem per se non debilitari, propterea quòd instauratis organis ipsa pristino robori restituatur? profectò si calor innatus permaneret illæsus, et organa facultatis eiusdem nec ab intrinseca nec ab extrinseca causa læderentur, ipsa facultas uegetatrix incorruptibilis permaneret: adeò merum figmentum utiq; fuerit, scilicet imaginari corporeā facultatem per se corrumpi, illæso penitus corpore: adeò constat formas corruptibiles ob læsionem corporis, nec alia ratione corrūpi posse. Quā ob rem sicuti uegetatricē, sensualē, atq; motricē facultatē haud infirmari contingit, ni subiectum prius earundem facultatum patiatur, ita ratio-

nalis facultas non nisi patiente corpore læditur. Ite quemadmodum reparatis organis instaurantur facultates, uegetatrix, pariter ac sensibilis, atq; motrix, ita nimirum humanus intellectus reparatis organis robur adquirit. Itaq; si facultatē quāpiam instaurari reparatis organis, indicat eandem facultatem per se nō infirmari: uegetatricem atq; sensualem facultatem per se nequaquam infirmari contin-get, quando reparatis organis easdem prius læsas atq; debilitatas (ut sancti Thomæ uerbis utar) denuum instaurari constet. secundò supponit rationalē facultatem organo nequaquā uti corporeo, cum alioquin hoc probandum foret, idúe demonstratiuo syllogismo, non autem (quod Peripathetici faciunt) pro confesso supponendum: quòd id quæsitum uidelicet, an humanus intellectus utatur organo corporeo, naturaliter ignotum sit, & quæsitorum naturaliter ignotorum demonstrationes esse soleant: præsertim cum hoc in negotio magnus Galenus aliquot rationibus, cerebrum intellectus organum esse contendat: quæ quidem rationes, si demonstratiuas esse negaueris, tamen efficaces atq; probabiles (uelis nobis) fateri cogeris. cæterùm quod ait intellectum infirmari seu fatigari, sensuum interiorum ratione, uidelicet imaginatricis, cogitatricis, simul ac memoratricis, non autem respectu sui: scilicet quasi non per se, sed per accidens, hoc est, per aliud rationalis facultas infirmari uideatur, cum alioquin

re ue-

re uera non solùm haud infirmetur per se, sed neq; per accidens: hoc rursus probandum fuerat, non autem uelut confessum quiddam subijciendum, quando si demonstrationes desint, effingere liceat humanum intellectum, esse quendam sensum interiorem, corporeum, atq; corruptibilem, à cæteris interioribus sensibus specie distinctum, qui solùm in hominibus offendatur: quippequi exactius perfectiusúe temperamentum inter animantia sortiuntur, simul ac longè puriores ac bruta spiritus atq; temperatiores, utpote discursibus magis deseruientes uelut sensui cuidã puriori, possident: cuius quidem rei probabile satis & euidens argumentum est, quòd bruta, quò propius ad exquisitam accedũt temperiem, spirituumúe tenuitatem humanis persimilem, cô prudentiorá sunt, & rationis capaciá saltem prima fronte iudicantur: adeô non iniuria Galenus dubitauit, an animantia quædam (sicut Elephantes) quæ dicuntur bruta, prorsus rationis expertia censeri debeant.

ALIVD OBIECTVM INFIRMATVR. Cap. VIII.

PRAETEREA si semel isthæc admittatur ratio, nempe quòd anima non infirmetur, sed debilitetur (ut sancti Thomæ uerbis utar) nisi per accidens infirmato corpore, sequitur omnes inanimatorum species corruptibiles: puta lapidum atq;

metallorum, per accidens tantùm esse corruptibiles, non autem per se, ac sic non nisi per corruptionem subiecti, hoc est, materiæ secundæ corruunt; nanq; quandiu lapidis temperamentum, exempli gratia, manet illæsum, tandiu lapidis eiusdem forma seu species perdurat: ubi uerò qualitates elementorum in eo lapidis tẽperamento refractæ, iam eò dissidij ueniant, ut earum una uelut tyrannus alias subigat atq; pessundet: sanè tũm species lapidis proprio subiecto destituta, quod definitũ illud certumúe fuerat temperamentum, à natura communi sibi præscriptũ, uelut proprium ac immediatum eius speciei subiectũ: tunc inquam aboletur species ipsa lapids necessariò. quòd si temperamẽtum idem læsum sit quidem tantisper, sed tamen minimè læsionem effatu dignam susceperit: profectò si semel auferatur ea læsio, corporisúe temperamentum reparetur: instauratum iri quoq; lapidis eiusdem speciem, quæ prius læso composito temperamento, noxam quanuis haud effatu dignam susceperat, ratio naturalis omninò conuincit: unde uidemus elementa simplicia uel læsa, nihilominus propriam (uelut thesaurum) adseruare speciem, ni fortassis iam eò processerit læsio, ut non solùm ægrotare (liceat mihi ita loqui clarioris doctrinæ gratia) quinetiam corrumpi cernantur. Proinde Auicennas prima primi cap. de Elemẽtis, ad probandum aquam esse natura propria frigidam, ait eãdem ab extrinseco aliquo nusquã alteratam, perma-

 nere

nere frigidam: ego uerò hanc adpendicem addo: uidelicet quòd si aqua alteretur ab extrinseco, puta ab igne (modò nundum eò processerit alteratio, ut iam sit corrupta) si postmodū eadem alterata temperatissimo exponatur aeri, denuo pristinam uiribus proprijs (quam paulò antè perdiderat) frigiditatem reparat. Quorum hæc? si formæ uel inanimatorum debilitatæ (ut beati Thomæ uerbis utar) propter subiecti passionem seu debilitationem: ubi reparatū idē subiectū fuerit, instaurantur: omnino consequitur iuxta rationem sancti doctoris, easdem per se formas minimè debilitari, sed tantùm per accidens: At si per accidens tantùm debilitantur, per se nunquam debilitari poterunt, ac per consequens nec per se pati, passione uidelicet, (quod aiui) corruptiua, quare nec corrumpi: species igitur lapidis (eandem de cæteris sublunaribus mixtis ratio militat) incorruptibilis per se fuerit. Porrò quodcūq; tale est per se (iuxta præceptiones logicas) cuicunq; conferatur, semper erit tale: sed (ut ex suppositis sancti Thomæ deduximus) species omnes corruptibiles, per se pati corrumpiúe nequeunt, ergo cuicunq; comparentur, perpetuò fuerint incorruptibiles: Atqui constat uel ipso sensu iudice, cùm passibiles & alterabiles, tùm corruptibiles easdem esse, sequitur eas ergo per se corrumpi. Quam ob rem falsum omnino fuerit, animam scilicet uegetatricē atq; sensualē, debilitari solùm per accidens debilitato corpore, quoniam si debilitato cor-

pore, per accidens ipsa quoq; potest infirmari seu debilitari, sequitur eandem innatam habere potentiam, qua per se possit infirmari, alioquin nec ad alicuius infirmitatem ipsa posset infirmari: scilicet si ipsa per se, hoc est suapte natura foret (ut ita dixerim) indebilitabilis, id est, si penitus ea potentia careret suapte sponte, qua debilitari posset. Proinde Philosophus inquiẽs: si senex acciperet oculum iuuenis, uideret ut iuuenis, haud intelligit, quòd in sene per accidens tantùm, scilicet ob debilitationem corporis, imbecilla quoq; reddita fuerit anima: quando uel corpore nullatenus læso, ipsa per se corpus proprium sensim atq; paulatim destruat, ac per consequens seipsam per se pedetentim extinguat, quũ sit, propria natura corruptibilis: uerùm intelligit, quòd si anima resarcire posset perpetuò iacturã, quam infert cùm sibipsi, tùm corpori (quod sæpe facit) perpetuò maneret in eodem statu, perinde ac si ita loqueretur: senex malè uidet, quia uirtus oculi (dum festinat secundum naturam ad interitum) infirmata est, cùm per accidens ob debilitationẽ organi, tùm etiam per se: quia si (per impossibile) ipsa tantisper alicubi secluso semotoúe corpore posset subsistere, adhuc propria natura paulatim deficeret, quòd id imbecillitas naturæ suæ requirat: propterea si liceret animæ in senibus resarcire uires pristinas, & nouum corpus adulescentis aut iuuenis optimè temperatum suscipere, sicuti continuò per uices regredi: nunquam desineret

neret anima, sed reparatis per interualla temporum (quas prius amiserat) uiribus, continuò perduraret incorruptibilis; alterum porrò subiicuit, nempe si anima pristinas uires reparare posset, quoniam ex unius expressione, commodè satis alterum indicatur, quia dũ dixit: si senex acciperet oculum iuuenis, hoc est, probè temperatum, compositum, & plurimo redundans innato calido (quod substantificum adpellatur) tacitè simul ac necessariò per consequens indicauit alterum: nempe si senex robur animæ pristinum consequeretur, alioquin incassum oculus optimam temperiem simul ac optimam compositionem adsequatur, ni mox eidem optimæ corporis atq; materiæ constitutioni præsto fuerit animæ robur: præterea robur animæ subiicuit, quòd id ab optima temperie compositioneúe corporis, nunquã abesse soleat.

NONA RATIO TOLLITUR *è medio. Cap. IX.*

NULLA *forma subsistens est corruptibilis per se neq; per accidens; non per accidens, quoniam habet esse per se, unumquodq; autem habet generari & corrumpi, sicut & habet esse suum. Nec per se, quoniam hoc fieret, aut separando esse aut formam, sed esse à forma non potest separari, quia per se ei conuenit, nec*

forma

forma à seipsa: Anima autem est forma subsistens, ergo &c. hactenus ille: hoc argumentum innititur huic enunciationi, nempe quòd anima rationalis sit forma subsistens. si hoc enuntiatum è medio substuleris, ratiocinium omnino corruat, oportet; neq; enim subijciendum erat uelut notum, animam rationalem subsistere, quin potius illud idem, quod supponitur, aliqua demonstratione firmandum erat: præsertim quãdo multis Peripatheticis (ut Alexandro) uisum fuerit, humanum eundem intellectum de potentia materiæ (quòd dici solet) educi eliciq;, haud secus ac aliæ species corruptibiles, tantum abest, ut eum subsistere fateantur: siquidem nulla forma corruptibilis iure subsistere dici queat, multò minus ipsa materia, sed unum compositum ex materia formaúe compactum uerè proprieq; subsistit. Decima & ultima ratio sancti Thomæ (ut mihi quidem uidetur) uerè demonstrat, quæ sic habet: Adpetitus naturalis non est frustra: sed homo quilibet manere & esse perpetuò naturaliter adpetit, et per intellectum adprehendit esse, non solùm ut nunc sicut bruta, sed simpliciter, ergo perpetuus est intellectus. isthæc sanè demonstratio (quod libro huius operis quarto fusissimè, Christo domino fautore probabitur) altas agit radices, quò fit, ut iure quodam suo diffusam requirat enarrationem. equidem hanc eandem demonstrationem ex me ipso non solùm commentus fueram, uerumetiam hanc eandem scriptis mandaram,

ram, idq; eo modo prorsus, quo eadem hoc in opere legitur: quam quidẽ demonstrationem ubi cum Alexandro Saulo scilicet uiro; cùm pietate, tùm eruditione insigni contulissem, is (quæ sua semper esse consueuit humanitas) hoc idem ratiocinium admonuit, scriptum reliquisse beatum Thomam, unâ cum cæteris paulò superius in medium adductis.

DEMONSTRATIONE SIGNI probatur animæ rationalis immortalitas. Cap. X.

NATVRAM antè omnia frustra nihil incassumúe tentare supponendum est pro cõfesso: quod ab eruditis omnibus ita receptum est, & ab Aristotele præterea probatum in Physicis, & à Galeno præsertim in libris de usu partium, ut nemo planè possit offendi tam effrõs, qui id in controuersiam uocare iam audeat; hoc itaq; supposito sic exordior: Aristoteles in Posterioribus analyticis ubi definiuit, quid sit scire inquiens: scire est per causam cognoscere propter quam res est, & quoniã illius causa est, et impossibile est aliter se habere: quũ animaduerteret hanc definitionem esse positionis speciẽ (eo modo scilicet, quo definitio dici potest positio) & per consequens immediatam atq; indemonstrabilẽ: minimè probauit eam quinimmò statim subintulit:

it. Manifestum igitur, quòd huiusmodi aliquid scire sit, quia tam scientes quàm nescientes, opinantur ipsum scire sic se habere; adhæc quotiens horum uterq; credit se aliquid scire, statim arbitratur se causam eius tenere: quanquam illud inter utrunq; discriminis intercidit (inquit Philosophus) quòd nesciens, rei causam tenere se tantùm putat, quum alioquin eam non agnoscat: sciens uerò præter id, quòd se causam habere credit, eandẽ insuper habet re uera. Accedit quòd omnes homines uel ab infantia, quotiens alicuius rei scientiam scrutantur & quærunt, petere sciscitariúe solẽt, propterquid, profectò non potuit Aristoteles in mediũ adducere demonstrationẽ signi (quam demonstrationẽ quia recentiores nũcupant) efficaciorẽ, & quæ suo magis faueret instituto; quanquã etenim immediatæ propositiones aut definitiones pariter immediatæ, à priori, hoc est, per causam probari nequeunt (quòd nullã antè se causam habeant, per quã probari queant) nihilominus eædem à posteriori, uidelicet per effectũ innotescunt, quotiens obscuriores fuerint, quàm ut à quouis intelligi prima fronte percipiúe possint. Itaq; quod hic effert Aristoteles, tale perinde est, ac si ita dixisset: quod inest ex æquo passim omnibus hominibus, id eisdem necessariò speciei ratione & secundum naturam inest: at quòd scire sit huiusmodi, cunctis indiscriminatim hominibus inest & ex æquo, quãdo quiuis tam nesciens quàm sciens, idem fateatur, ergo scire ritè definitum est:

alio-

alioquin natura (quæ nunquam nisi impedita committit errores ac delinquit) temerè perperamúe mortalibus hominibus indidisset hãc opinionem, uidelicet quòd scire sit per causã cognoscere, et quæ sequũtur, si uerum hoc haud esset. Quorsum hæc? inexplicabilis est mehercle scientiarum omnium sitis, nemo est tam stupidus, tam uecors, tanq; mentis expers, qui scientiam rerum omnium summis uotis non adfectet atq; concupiscat: adeô non iniuria Philosophus ab initio primi de sapiẽtia libri, statim exorditur hũc in modum: Omnes homines naturâ scire desyderant, neq; enim absolutè simpliciterúe protulit, omneis homines scientiam adfectare: sed hanc adpendicem addidit: naturâ, hoc est, secundum naturam, eamúe non communem, sed suam ipsorum propriam, quando desyderium istud sciendi cæteris, quæ sub globo lunæ sunt naturis seu speciebus, haud insit. Atqui quòd hominibus inesset sciendi desyderium, demonstratione nequaquam indigebat, sed quòd id eisdem insit naturâ .i. secundum naturam, hoc fortassis demonstrandum esse, suspicari quispiã potuisset. Idcirco propositionem uniuersalem, uniuersaliter enuntiauit inquiens, omneis homines adpetere secundum naturã scire; nanq; si non omnes, sed plures tantùm hoc cuperent, optimo iure suspicari possemus, id hominibus minimè secundum naturam inesse: At quum id indiscriminatim omnibus insit hominibus uel experiẽtia iudice, meritò adpendicem hanc addidit: naturâ, hoc

est, secundum naturam: si quidem quod omnibus inesse constat & semper, id necessariò & à natura & secũdum naturam esse, nemo penitus ambigit: quandoquidem ea præsertim à natura & secundum naturam esse dicãtur, quæ semper talia sunt aut saltem ferè semper. Verùm huic Aristotelis enuntiato crediderim addendã esse particulam: omnia, ut talis euadat sermo scilicet: Omnes homines naturâ scire desyderant omnia, præcipuè diuina, quod uerum esse, uel Inductione demonstratiua probatur hoc pacto: neminem in uniuerso terrarum orbe reperias, qui non adpetat omnia scire, sed tamen omnia scire nemo tentat, quia quod cupit, adsequi se minimè posse persuasum habet: Accedit quòd unam aut alteram particularem scientiam uel artem, examussim agnoscere callereúe nemò potest, nedum omnes. Hippocrates id de arte medica impendiò adseuerat, & Galenus addit, fieri non posse, ut integrè quispiã perfecteq; medicam artem adsequatur, etiam si uita nostra in triplum tempus prorogaretur. Quam ob rem quum euidens sit quẽlibet medicinæ studiosum aut alteri sciẽtiæ addictum, cupere secundum naturam, eandem adamussim perdiscere, nec tamen id consequi posse: sequitur necessariò, naturale desyderium hominis esse præter rationem ac frustra, siue simpliciter enuntiemus: Omnes homines naturâ scire desyderant, seu cum hac adpẽdice dicamus: Omnes homines naturâ scire desyderant omnia: quandoquidem utrobiq; fine

suo desyderium frustretur (ut sic dixerim) ac uanũ sit et irritum. Atqui natura (quòd suppositum est) nil agit tentatúe frustra: datur igitur alius animæ status à corpore diuulsæ, in qua potest intellectus omnia perfectè scire, Ergo rationalis animus est incorruptibilis: siquidem hominem in hac uita palàm est, haud posse (quod supra probatum est & satis uni cuiq; constat) unam scientiam aut artem integrè perdiscere, cũ alioquin id maximè cupiat, tantum ab est, ut omnia perdiscere, animoûe complecti quispiã, se posse speret. Quocirca dubio procul isthæc adfabrè contexta demonstratio signi fuerit: Omnes homines desyderãt omnia scire secundũ naturã propriam, ad id eosdem propensos reddentem: ergo scientiã omniũ aliquando consequentur, ne scilicet naturale desyderium euadat irritũ atq; superuacancũ: at humanus intellectus quandiu uinculis corporeis irretitur & perplexus est, quod desyderat, consequi nequit, quod experientia rerũ magistra nos apertè docet: Is ergo quandoq; separatus à corpore superstes erit, & omnia perfectè (quod aliâs corpori copulatus anxiè cupiebat secundum naturam) adamussimúe cognoscet & intelliget: atqui forma quæuis seu species, quæ scilicet materia nõ indiget ac per se subsistit, incorruptibilis est, humana mẽs igitur & intellectus humanus immortalis, atq; hoc primum fuerit nostrum ad immortalitatem intellectus humani demonstrandam ratiocinium.

CON-

CONTRA DEMONSTRATIONEM adductam obiecta diluuntur. Cap. XI.

PORRO non me latet Aristotelis interpretes eam enuntiacionem: Omnes homines natu râ scire desyderant, hunc inmodum interpretari: Omnes homines naturâ scire cupiunt omnia, & quod cupiunt adsequuntur, non in uno quidem indiuiduo particulari (quod penitus est impossibile) sed in specie: quia licet Plato uel Socrates exempli gratia, uix pauca perdiscere callereúe possit, tamen omnes unâ collecti & omnia discunt, & sciunt; quò fit, ut naturale desyderium minimè fiat irritum, immò finem sortiatur intentum. hanc eandem opinionem utiq; uel hoc exemplo confirmare liceat, quòd omnes homines abhorrent mortem, simul ac detestantur: præterea perpetuò cupiunt in hac mortali uita perdurare, idúe secundū naturam, quod probatur: quoniam omnes homines eiusmodi experiaris, ut malint in æternum in hac mortali uita desidere, quàm semel mori, neq; tamen desyderium illud irritum esse potest ac uanū, quoniā quòd in se particularis quisq; nequit adsequi, id saltem adsequitur in specie, siquidem ex successiua particularium generatione, species una permanet incorruptibilis; hæc sūt mediusfidius, quæ in fauorem Neothericorum, Aristotelem hoc loco perperā exponentium, comminisci quispiam possit.

sit. Hi porrò bifariam peccant: primò supponentes naturali desyderio fieri satis, dum quod in particulari concupiscunt, in specie consequantur: secundò quòd omneis homines (non seorsum) sed unâ collectos, & discere & scire omnia putent. primum suppositum sic infirmatur: si desyderiam irritum esse nõ debeat, necessum est, & quod cupit, & eo modo, quò cupit, adsequantur: At Socrates & Antonius (ac sic de singulis) haud solùm in specie, scire cupiunt singula, uerumetiam in particulari: quod uel inductione manifestum euadit. Equidem libentissimè uellim abdita naturæ omnia non solùm animo uersare, quinetiam examussim intelligere, ac (ut ita dicam) absorbere, quum alioquin unum Aristotelem integrum aut Galenum adsequi perfectè nundum potuerim, nec me integrè posse (quanuis laboribus haud parcam) certò scio: uelim inquã libentissimè, Theologiã uniuersam & Mathematicas scientias, adhæc ius ciuile pariter ac omnia quæ mundus capit: uelim inquam rursus omnia, non in specie, sed intellectu meo particulari, & condiscere & examussim animo complecti. Quam ob rem si adsequor istud in specie, meo nequaquam satis fit desyderio, siquidem adhuc inquietus maneo, perinde ac si nihil fuissem consequutus, proinde uelis nolis, naturale desyderium adhuc irritum manet, quando nec quod desyderabam, nec eo planè modo scilicet, quo cupiebam, consequi minimè licuerit. Nanq; si desyderium sciendi parti-

cularis & indiuidui finem consequeretur in specie, dubiò procul animus adquisito fine quiesceret: sicut & motus omnium corporum naturalis, ubi terminum, cuius gratia fit motus, attigerit, tandem quiescit: ac sic extemplò sciendi desyderium desineret, uerbi gratia: senex ego mediocrem eruditionem uix consequutus sum, idúe summis uigilijs, quũ apertè nouerim alios in totá specie quanplureis, uel earundem scientiarum, quibus hactenus incubui, professores: multò plura scire, quæ mihi uel prorsus ignota sunt, aut certè parum nota: si uera sunt, quæ in medium aduersarij proferunt, optimo iure mens quiescere deberet, ac nihil amplius cupere, quando quod ipsa nõ potuit in particulari consequi, saltem illud idem in specie cõsequuta uideatur: Atqui sicut ab initio nequaquam sciendi desyderio flagrabam adhũc finem, ut id in specie consequerer: ita nunc quanuis species id adsequuta fuerit, nihilo tamen minus adhuc eodẽ desyderio (quemadmodũ prius) æstuat et ardet animus, tantum abest, ut quiescat: Ergo datur alius animæ status à morte, in quo quod hîc animus cupit, tandem eo modo, quo cupit, illud idem consequatur, animus igitur incorruptibilis. Porrò naturâ cuiq; insitum esse, ut omnia simpliciter scire cupiamus, præter communem omnium hominũ inductionem, quos hactenus interrogaui, uel id in meipso sum expertus etiam à teneris (quod aiunt) unguiculis: quãdo uel ea ætate semper exarsi desyderio sciendi omnia, quia

etiam

etiam Eugenium filium memini, quum sex tantùm esset natus annos, interpellãtem me de natura Dei, qualis foret, quisnam esset eius locus precipuè: adhæc num corporeus esset (quod magnũ erat eruditionis futuræ præsagiũ) an incorporeus: ut interea missas faciam quæstiones naturales, quas non modò sciscitabatur, sed animo secum uersabat atq; meditabatur. hoc ego cùm in eo propemodum infante, tùm in meipso præcipuè sum expertus, simul ac deprehendi luce meridiana clarius, ultrò nobis à natura inditũ esse desyderiũ sciendi omnia, idq; non in specie, sed in particulari, atq; hæc pro infirmando primo aduersariorum supposito dicta sufficiant. Secundò adsumunt tanquam omnibus confessum, omnes homines promiscuè, scilicet unâ collectos per intelligentiam, condiscere posse omnia tùm scire: quæ opinio mehercle longius abest à ueritate, quàm ut ab eruditis amplecti probariq; debeat: siquidem magna pars eorum, quæ scimus (quod passim dici solet, & est uerissimum) minima est eorum, quæ ignoramus: quod ostenditur, quia casualia & fortuita (quod supradictũ est) nec sciuntur, nec ab aliquo sciri possunt, quum alioquin à causa determinata proficiscantur, si Galeno credimus et Hippocrati: non dicam Euangelio, quòd mihi negocium cum atheis intercedat, quanuis illud idẽ supra rationibus (ut mihi quidẽ uidetur) lucidissimis cõmostrauerim. præterea quædã reperias in natura, quæ à nemine sciri possunt, immò ferè omnia.

 Qua-

Quapropter liquidò adparet secundum adsumptum, uidelicet omnia ab omnibus sciri, à ueritate penitus alienum esse.

DVO ALIA OBIECTA TOLLVNTVR. Cap. XII.

SVPEREST, ut rationem aliam cōtra nos adductā tollamus, quæ sic habet: Omnes homines cupiunt in hac mortali uita semper uiuere, ad hæc ipsam mortē detestantur & abhorrent, idq; secundum naturam, quum id omnibus insit. Respondeo falsum esse, quòd omnes homines in hoc cæno uitam transigere semper cupiant, immò prudentes in ultimo senio saltem; cupiunt ex hac uita migrare ac discedere; at cur hoc casu prudentes atq; sapientes memorem? plebei passim homines quanlibet ignari, dolorem mortis tantùm formidant, ubi uenerint ad ultimum senium, non ipsam mortem: propterea naturalem mortem, quam doloribus uacare rationi consonum est, ultrò quiuis secundum naturam exoptat. quod uel hac ratione fulcitur: uulgatissimum est axioma seu dignitas cunctis euidens, adeô ut nulla persuasione prorsus egeat: nempe quotiens duorum malorum, utrunq; nequimus euitare, fugiendum id esse quod maius atq; nocentius fuerit, seu (quod impropriè abusiueq; dici solet) minus malum ex duobus eli-

gendum

gendum est: at longè peius est homini perpetuò doloribus uexari discutiariúe, quam uita semel excedere, mors igitur tûm homini bona, uel saltem minus mala, fuerit eligenda. dices forsitan: si certò scirem animam uiuere post mortem, utiq; faterer ingenuè potius adpetendam esse mortem, quàm extremi senij uitam miseram: at quum id dubium sit, & præstet esse, quàm non esse, idcirco uitam quanlibet miseram morti præferendam putarim. porrò id enuntiatum scilicet: melius est esse miserum quàm nõ esse simpliciter, quòd ab eximijs Theologis in dubium uocatur, in expositione uerborum illorum: melius fuisset homini illi si natus nunquam fuisset: id enuntiatum inquam, quòd melius sit esse miserum quàm nõ esse, propterea quòd nihil euenire queat peius, quàm non esse: id rursus inquã enũtiatum sic intelligendum existimarim, quòd melius sit absolutè simpliciterúe toti naturæ scilicet uniuersali, quòd hoc uel illud singulare sit: at non melius est ipsi, sic esse, ut interim miserrimus sit, & in magnis cruciatibus uitã transigat: unde melius utiq; simpliciter fuerit propter gloriã dei (quæ uel in damnatis, manifestando iustitiam eiusdem emicat & fulget) quòd Iudas unâ cum cæteris reprobis sit, licet miserrimus, quàm non sit, scilicet ob gloriã dei manifestandã: at ipsi Iudæ cæterisq; reprobis longè præstaret, non esse simpliciter, quàm in æternũ discruciari. cæterûm quòd quidam contra naturam hominis quatenus homo est, malint uiuere miserri-

mi, quàm semel mori: huiusce rei causa est mala consuetudo, quòd adsueuerint fauẽdo sensibus, obscurare rationem adeò, ut iam uelut amens facta nesciat, quid sibi ipsi uelit. Ergo patet homines omnes secundũ naturã adfectos, in extremo senio saltem, adpetere mortem, scilicet naturalem ab omnibus penè doloribus immunem. Porrò quoniam ab initio capitis paulò antè dictũ est, omnes homines scire cupere secundũ naturam oĩa: si forsitan obieceris non deesse homines eius ingenij, qui nihil scire cupiant, & ob id istud, haud esse naturale desyderium, quod omnibus non insit: respondebo tale quidpiam esse præter naturam, haud secus ac seipsum interficere: num effutire quispiam audeat, sui ipsius in natura conseruationis dẽsyderium, non esse à natura & secundum naturam, propterea quòd nonnulli contra naturam adfecti, suám ipsorum destructionem adfectant? num rursus immortalitatis desyderium haud esse naturale fateberis, quòd nonnulli contra naturam, aut animorum immortalitatem prorsus è medio tollant, aut saltem in hac quæstione dubij sint & ancipites? Cæterûm ne contra nosmet pugnemus, aio interficere se ipsum, cupere nihil scire, & alia id genus, contra naturam esse: non absolutè quidem atq; simpliciter, sed cum hac adpendice uidelicet, præter naturã eius compositi particularis, cui tale quidpiam inesse dignoscitur.

SECVN-

SECVNDA DEMONSTRATIO qua probatur immortalitas intellectus. Cap. XIII.

SVPPOSVIMVS tanquam dignitatem omnibus cõspicuam, id esse naturale necessariò, quod cùm omnibus speciei alicuius indiuiduis, tũ semper inest. huic impresentiarum innixi fondamẽto, secundã signi demõstrationem adferimus: Omnes homines semper nâturâ opinati sunt unũ esse Deum, quod probatur: tùm quòd dei alicuius cultus semper fuerit apud quoslibet, quantunuis barbàros, idq; natura dictante: tùm quòd ij, qui plureis Deos adorabant, unum tãmen aliorum principem, puta Iouem arbitrabantur. Item hodierna die non desunt barbari, qui duos esse putant deos, & mundi totius imperium esse diuisum: unde dicunt Deum superiorem cœlicolis imperantem, præfecisse quoddam idolum ferreũ aut, marmoreorũ, quod ipsi colunt, tanquã Deũ totius terræ, quem alioquin fatẽtur altero minus dignũ & inferiorẽ: ac re uera, sic cum res habeat ita dictante natura, tantùm unũ colunt Deum, quãuis ignorẽt, quisnã ille Deus sit, inferioris naturæ pater & dominus. Itaq; quiuis homo naturâ colit unum Deũ, quẽ adorare cupit in æternũ: ergo uel naturale desyderium hominis irritum est, ac præter rationem & temerarium, uel Deum adorabit in æternum, animus igitur rationalis est incorruptibilis: nec proderit

quicquam ea fuga, quòd id desyderij consequamur in specie, quandò successiuè per generationẽ semper ad sint homines aliqui particulares, qui Deũ colant: nõ prodest inquam isthæc fuga, quoniam particularis homo quilibet adpetit in particulari cultum Dei, non solùm in specie, idúe in æternum, hoc est, sine termino ac fine: particularia uerò quæuis corruptioni obnoxia non adpetũt naturâ, ut in perpetuũ ac sine fine sint, sed ad tempus tantùm: puta sensilis facultas & altrix eô usq; permanere secundum naturam propriam concupiscit, quo usq; non defuerint humidi illius reliquiæ, quòd radicale seu substantificum adpellant: quo nimirum absumpto exaustoq; uidelicet à natura elementari illa communi (quæ est caliditas) quam ab igne uelut mutuò susceperat: quo inquam humore sensim atq; paulatim exhausto: naturale compositum, natura sui ipsius corruptionem ita non horret, ut eandem ultrò uel adpetat: quasi prænoscat iustum esse, ut quæ mutuò iandudum acceperat ab elementorũ sphæris tempore generationis, ali quando per suam ipsius dissolutionem, illud idem uniuersitati lubens restituat: idq; tùm secundum communem elementorum naturam (quæ id exigit) tùm etiam secundum suam ipsius naturam propriam, quæ cum naturæ superiori tanquam dominæ seruiat, eiusdem legibus libenter ac suapte sponte pareat, oportet.

TERTIA DEMONSTRATIO. Cap. XIIII.

HISCE legibus inferioris naturæ soluta rationalis anima, præter unius dei cultum perpetuum & in particulari, non autem in specie tantùm: præter inquã speciei cultum, insuper felicitatem adpetit perpetuam malis omnibus uacantem: cumq; hic adpetitus insit omnibus hominibus, mehercle naturalis iudicandus uenit. argumentor igitur sic: omnes homines propria ipsorum natura, scilicet qua homines sunt, felicitatem desyderant et in perpetuũ cum deo uiuere, felicitatẽ ergo semel adsequentur, ne temerarium adpareat naturæ hominis desyderium: at id dum anima rationalis corpori connexa est, adsequi non licet (quòd experientia testatur) separabilis fuerit igitur intellectus humanus à corpore, ac per consequens incorruptibilis.

QVARTA DEMONSTRATIO. Cap. XV.

BRVTA ferè omnia & se mutuò cognoscunt, & hominẽ pariter. Item homines agnoscunt Deum unâ cum cæteris abstractis, modo scilicet eis possibili. Verùm inter eam cognitionem, qua percipit homo Deum, et qua bruta cognoscit aut ab eis cognoscitur, hoc intercedit discriminis, quòd

Deus

Deus unà cum cæteris abstractis àb homine dignoscitur, quatenus est incorporeus, inuisiblilis, primum ens, fons omnis bonitatis atq; perfectionis, et sempiternus; adhæc ut talis etiam à nobis non solùm intelligitur, uerumetiam diligitur, At bruta se inuicem ac homines pariter & agnoscunt & diligunt tanquā corpora sensibilia, utpote sensuū obiecta delectabilia: hinc homo camelum exempli gratiâ, cognoscit ut obiectum sensus, diligit autem non ut obiectum sensus absolutè, sed ut obiectum delectabile. sic à catulo uicissim homo diligitur & adprehenditur, quo modo bruta quoq; se inuicem cognoscunt ac diligunt. hisce suppositis hunc in modum argumētor: Anima rationalis diligit Deum (ut supradictū est) & agnoscit: ergo si cognoscit ac amat eum tanquam incorporeum & æternum, necesse est eandem animam esse naturâ participem immortalitatis & (ut ita loquar) incorporeitatis. etenim quidquid æternitatem percipit, æternum est, intellectus humanus est huiusmodi, ergo &c. missam facio præterea libertatem arbitrij, quæ iuxta quorundam opinionem, magnā uim habere uidetur ad eiusdem intellectus immortalitatem demonstrandam: hanc inquam uel de industria missam facio, quòd re uera probabilis tantùm atq; dialectica deprehēdatur esse ratio, quum demonstratiua tantùm hîc nobis argumenta prosequi sit institutum.

QVIN-

QVINTA DEMONSTRATIO SIgni qua rationalis animæ probatur immortalitas. Cap. XVI.

QVEMADMODVM motus est ueluti uita natura constantibus omnibus, Aristotele relatore, cui demum experientia subscribit: ita mediusfidius naturâ comparatum est, ut corpus naturale quodlibet, ubi nihil defuerit, quod ad eius perfectionem desyderari queat: præterea nihil extrinsecus accedat, quod ei noxam inferat: naturâ comparatum est inquam, ut corpus hoc casu quodlibet quiescat, atq; sic quodãmodo contentus sit, uerbigratia: uideas elementum quoduis, quotiens ei proprios extra sphæra suæ limites peregrinari contingit, si nõ corrũpitur, certè uarijs huc illuc procellis, de ueluti turbinibus agitatur & fluctuat, donec ad patrios lares (ut sic dixerim) tandem remeare liceat: ubi, si eô quandoq; regredi possit incolumis, uelut inter familiares atq; domesticos, quasi lætus ac tutus quiescit: unde uidemus terram è supernis sæpenumerò mundi partibus, ad locum proprium ingenti fragore, quasi desyderio quodam illuc festinantẽ: uidemus inquam eandem, ubi iam portum attigerit, feriari, quasi nil amplius ei desit, quod adpetere queat: quandoquidem integram eo loco perfectionem adsequatur, scilicet quam suæ speciei ferre potest imbecillitas: atq; hîc per omnia sæcula uerisimiliter immota quie-

ta quiesceret, non modò secundum totum, uerumetiam secũdum parteis totius globi sui, uel minimas: persisteret inquam in proprio loco terra, uelut suà sede contenta penitus immobilis, ni propter continuum cœli motum elementa superiora, ad partes infernas impulsa lacesserent eandem, atq; secundum parteis è sede propria dimouerent, quò sic natura cõmunis mixtorum generationi adpositè cõsultoq; prospiceret, quod idem planè de cæteris elementis intelligi uelim. etenim aqua quanquam impura passim in propria sphæra deprehẽditur, quòd nimirum utrinq; iniurijs cùm superiorum elementorum, tùm inferioris terræ sit exposita, quemadmodum & aer: nihilominus eadem propriam adpetit sphæram, idúe secundum naturam, ut ibi sirietur atq; conseruetur. quòd si penitus integra uel in proprio loco seruari nequeat, id quicquid est incõmodi, aliorum elementorũ iniuriæ penitus uenit adscribendũ: quæ cum aquam impuram reddant, in causa sunt, ut eadem quoq; quiescere nequeat, etiam in propria sphæra. cæterùm ignis globus quanuis secundum parteis sparsim alicubi uerisimiliter offendatur purus, uidelicet ea parte præsertim, qua cœlum tangit, iure quiesceret quasi sua sede contentus, et sua specie perfectus: sed tamen quoniam à uicino cœlo circũagitur (quæ causa mixtionis elementorum est) propterea minimè feriatur, quiesceret tamen, nisi turbaretur ab extrinseco. Verùm elementis tantisper prætermissis.

ſis, ad compoſita ueniamus. lapides, metalla, plantæ, unâ cum animantibus omnibus: quoties earum rerum copia datur, quæ ſuam adamuſſim conſeruant atq; tuentur ſubſtantiam, ſuo quælibet modo contenta permanent, ac niſi turbentur ab extrinſeco, quieſcunt: unde ſegetes (quod ait poeta) lætas intuemur, quotiens ſoli fœcũditas, unâ cum aeris temperie conuenienti coeunt. itidem bruta, ſi boni pabuli facultas non deſit, neq; ab æſtu, frigore, uel ab imbribus lædantur, & benè tractentur: læta uiuunt, quòd certiſſimis ſignis (ne dicam coniecturis) innoteſcit, quam quidem lætitiam, hoc loco quietem adpello: quia licet moueantur, id inuitante natura, ſcilicet ut conſeruentur, non autem neceſſitate ducti uiolenter aguntur: ſuppoſito (quod ſupradictũ eſt) quòd nec ab intrinſeco, nec ab extrinſeco lædantur. Quorſum hæc? unus homo (experientiã hîc in ius uoco, ac teſtem adduco) nunquam uiuit contentus, etiamſi totum orbem poſſideat, & corpore præterea ſanus ſit & integer. proinde Solomon (quod ſacræ litteræ teſtantur) ubi conſequutus fuiſſet, quæcunq; mortalium quiſpiam concupiſcere poteſt: tamen quieſcere non potuit, nec eſſe contentus, propterea tandem eam ubiq; decantatam ſententiam enuntiauit: uanitas uanitatum & omnia uanitas. quocirca Plato non iniuria protulit, nuſquam oſtendi uoluptatem dolore uacantem, hoc eſt, ſynceram, perinde ac ſi dixiſſet humanum intellectum, in

hoc

hoc misero corporis ergastulo quiescere non posse; id est, uerè lætari: quando lætitia dolori mixta perpetuò deprehendatur, nec quisquam ullo unquã tempore contentus uiuere potuit, cum alioquin bruta certissimis aliquando signis agnoscantur esse contenta: quod uel in plantis atq; rebus inanimatis uidere liceat, scilicet eo modo, quo in hisce rebus quies seu lætitia fingi potest: quomodo forsitan dixit Ægidius Romanus, si non uerè, saltem ingeniosè: uidelicet primum subiectum seu materiam primam, formæ cœlesti subiectam, esse penitus contentam, & ob id aliã minimè (quod eius in eodem statu perseuerãtia demonstrat) adpetere speciem. His itaq; (ueluti nouæ demonstrationis basi) suppositis, ita ratiocinor: Quælibet res perfectionem pro suo captu summã aliquando consequitur (si non in particulari saltem in specie) ergo rationalis animæ facultas eandem aliquando consequetur: atqui iuxta supposita nunquam in hac uita finem atq; perfectionem attingit, idq; nec in ĩdiuiduò nec in specie: cuius quidẽ rei, uel illud certissimum argumentum fuerit, quòd nemo mortalium ullo unquam tempore, uerè quietus, hoc est, lætus atq; contentus esse queat: quod omnes hactenus homines (quemadmodum hystoriæ testantur) ad unum perpetuò confessi sunt: ergo (uelis nolis) datur alius animæ status ab hac uita mortali, in quo rationalis anima, quietem uelut finem atq; perfectionem adipiscatur: ac sic aliquando (quod et

præci-

præcipuè cõuenit post tot ingentia uitæ naufragia) & læta semel & contenta esse possit, quando uidere liceat bruta quanlibet rationis expertia, iucundissimam pro suæ naturæ captu uitam trãsigere: præterea in stirpibus et in anima carẽtibus, dein (quòd mirum est) in primo informi subiecto simul ac deformi, modo quodam, nobis idem cernere liceat.

SEXTA DEMONSTRATIO QVA defenditur intellectus immortalitas. Cap. XVII.

IN primis ab àduersarijs uelut debitum quoddam exigi uelim, quod omnes ad unum Aristotelis interpretes ultrò fatentur & admittunt: nempe species eô digniores censeri, quò perfectiores ediderint effectus, operatio siquidem (ut eorum aliquando uerbis utar) facit cognoscere formam. porrò compositorum perfectorum, qualia sunt animantia, quorum nobilius est homo: præcipuum opus est cognitio, quæ quò præstantior fuerit, eô dignius animal censetur. atqui cognitionis præstantia uidetur ex duobus pendere, quando penes modum cognoscendi consyderetur, aut penes cognitionis ipsius perspicuitatem. si quis primum modum attendat, interiores sensus longo interuallo, dignitate sensus exteriores antecellunt, quia species interiorum

ſenſuum, à materia magis diſtant: quô fit, ut longè puriores ſint ſpeciebus exteriorum ſenſuum, ac per conſequens, quæ illas adprehendunt, recipiũt, atq; dijudicant facultates, utpote minus materiales, optimo iure digniores exiſtimantur: atq; (quod ſupra dictum eſt) interiores inter potẽtias eæ fuerint excellentiores, quæ magis abſtrahunt à materia. hinc imaginatio creditur excellentior ſenſu communi, quam deinde cogitatrix nobilitate uincit: cogitatricem uerò plus quàm dis diapaſon (quod in adagio eſt) intelligentia ſuperat: quando ſi ſpecies, intellectus quas recipit atq; dijudicat, materiæ condictionibus adamuſſim non exuit (quod mortalitatis animorũ fautoribus adridet) certè perducit eaſdem ad ſupremum puritatis culmen. itaq; ut ſemel ad diuerticulum regrediar, ſi modum cognoſcendi ſolùm quiſpiam attendat, intellectus operationem anteire ſenſuum cognitioni uel interiorum, dignitate nemo ſanæ mentis ibit inficias, quemadmodum ijdem eodem iure ſenſus interiores, nobilitate uincunt exteriores. Verumenimuerò ſi cognitionis claritatẽ atq; perſpicuitatem contempleris, indubiè ſenſus exteriores ſi non omnes, certè quoſdam, interioribus dignitate prætuleris, uerbi gratia: uiſus ſi cum cæteris exterioribus conferatur ſenſibus, nobilior uenit exiſtimandus: idq; non ſolùm quòd plures (Ariſtotele relatore primo Methaphyſices) rerum differentias nos cognoſcere faciat, uerumetiam quòd ſen

ſibilia

ſibilia cõmunia multò clarius dijudicent: quinimmò propria quoq; ſenſibilia quàm cæteri ſenſus, forſitan certius agnoſcit. neq; enim adeò perſpicuè ſapores lingua dijudicat, & naſus odores, ac colores uiſus diſcernit. Item ſi uiſum auditui contuleris, certius ab oculo colores diſcerni, quàm ab aure ſoni iudicentur, experieris; quocirca Philoſophus inquiens, anteire uiſum cæteris ſenſibus, quòd plures rerum differentias, cùm interioribus ſenſibus, tùm intellectui deinceps iudicandas obijciat: tacitè ſimul indicauit eundem uiſum, dignitate cæteros excellere ſenſus, quod cùm propria, tùm communia ſenſibilia clarius ac cæteri, certiusúe diſcernat atq; dijudicet. quòd ſi qua huiuſce quæſiti dubitatio eſſe poteſt, ea precipuè fuerit inter uiſum & auditum diſputatio: quando non minus obiecta propria diſcernere uideatur auditus, quàm uiſus: ſed ut donemus hoſce ſenſus ex æquo proprias ſpecies agnoſcere: uiſus tamen auditum uel hoc uno uincet, quòd plures (quod dictum eſt) differentias rerum dijudicandas, ſuperioribus facultatibus ab oculo proponat. hinc iure Philoſophus admonet, nequaquam audiendam eſſe rationẽ, prætermiſſis tantiſper ſenſibus. itidem Galenus inculcat, nempe ſubſcribendũ eſſe rationi, ſi non diſſentiat à ſenſibus. Itẽ in libris precipuè de placitis Hippocratis & Platonis, demonſtrationes potiſſimùm commendat, quæ proximè deducuntur ex ſenſatis, prætereà uidere liceat proloquia ſeu dignita-

tes,non aliunde grandem præ cæteris enuntiacionibus certitudinem obtinere, quâm quòd immediatè fluxerint à sensu: quodúe suam proximè certitudinē ab eodem sensu uelut primo fonte claritatis atq; certitudinis hauserint, atq; perspicuitatem ut (ita loquar) ab eodē fonte traxerint, ac tanquam è profundo quopiam puteo deduxerint. quam ob rem hisce præmissis, nostra tandem hunc in modum erigitur demonstratio: intellectus humanus si prima semel excluseris principia, quæ proloquia seu dignitates uocitantur: adhæc eas conclusiones quæ proximè syllogismo demonstratiuo deducuntur ab ijsdem primis principijs, cum alioquin & principiorum eorundem & conclusionum immediatè pariter ab ijsdem initijs deductarum, fidem à sensibus ueluti mutuò susceperit: Intellectus inquam, si (quæ nuper dicta sunt) prætermisseris, in hac uita mortali nil clarè discernit, quod experientia patet. adeô diuinè (quemadmodum alia omnia) uideatur enuntiasse beatus Paulus: nempe quandiù uiuimus, uidere nos quasi per speculum, hoc est, confusè: scilicet dum intelligimus, quandoquidem intelligentiam hîc methaphoricè uisionem adpellet: quod quidem etiam exemplo Philosophorum probare liceat, quos maximè præ cæteris scire nemo mortaliū ambigit. nanq; Plato testatur in persona Socratis, manifestò nihil sciri, scilicet clarè simul ac perspicuè. illud idem tacitè Philosophus indicat inquiens, in rebus naturalibus

libus

libus esse debere nos utplurimùm contentos rationibus probabilibus, quòd nimirum plerunq; demonstrationes desint, & (quod miserabilius est) uiri uel eruditissimi, doctissimorum etiam calculo nonnunquam demonstrare se putant, cum alioquin postea nihil collegisse deprehēdantur: quod uel unus Auerroes apertè docuit, qui post tam grandes in Posteriora Aristotelis analytica conscriptos commentarios, tandem demonstratione (ut suis utar uerbis) dante causam & esse, hoc est, numeris omnibus absoluta: regiones æquinoctiali subiectas, esse propter nimium æstum inhabitabiles: hoc inquam demonstratione perfectissima se putat ostendisse, cum alioquin quanplurimis illuc nostrà tēpestate peregrinationis seu negotiacionis ergô se conferentibus, liquidò experiētia testetur, alicubi eadē climmata penitus offendi tēperatissima, atq; homines ibidem diutissimè uitam producere, redeo unde nuper digressus fueram: Intellectus hîc perpauca dignoscit eaq; confusè, scilicet ferè semper percipit, cum alioquin claram omnium intelligentiam anxiè cupiat: ergo si debeat cæteris anteire facultatibus cognoscentibus, uidelicet caducis atq; interitui obnoxijs: si debeat inquam dignitate illis ipsis (quod æquum est) præstare: idq; non solùm cognoscendi modo, uerumetiam cognitionis claritate & certitudine, cum ab hisce duabus causis, cognoscendi nobilitas petenda sit: necesse est dari alium animæ statum ab hac uita mor

tali, in qua non imperfectè non confusè cognoscat intellectus, sed (quod Paulus ait) à facie ad faciem, hoc est, distinctè certoúe singula, instar oculi perfectissimi discernat atq; dijudicet, intellectus igitur immortalis.

QVÎ CERTITVDO DIGNITATEM INDICET. Cap. XVIII.

QVAE proximo capite retulimus, ijs è uestigio uidentur opponi, quæ libro huius operis primo, capite secundo scripsimus: ubi scientiarum aut artium nobilitatem seu dignitatem, cùm à subiecti nobilitate, tùm etiã à difficultate rei, non autem à certitudine (quod Aristotelis interpretes autumant) pendere constanter adseruimus. Porrò si rem ipsam paulò diligentius perpenderimus, illicò falsa contradictionis opinio penitus ex animo delebitur. Nanq; certitudo uel incertitudo pendet, aut ex natura rei cognoscendæ, uel à natura siue potentia uirtutis, hoc est, facultatis cognoscentis, exempli gratia: rerum naturalium causæ cognitu sunt difficiles, idq; non uitio mentis humanæ, sed quia sensum prorsus effugiunt, sine quo noster intellectus agnoscere quidquam haud potest: qua ratione nimirum intelligentiæ superiores pariter mentis nostræ captum excedunt. Atq; hæc certitudo,

quæ penes rem cognoſcendam aut cognitam attenditur, nequaquam eius rei cognitionem efficit nobilem uel ignobilem: alioquin quod ſuperius adducto loco monſtrauimus, artes mechanicæ uel omnium uiliſſimæ, pluribus ſcientijs digniores uideantur atq; nobiliores. Altera certitudo penes robur atq; uirtutem potentiæ ſeu facultatis cognoſcentis attenditur, atq; hæc certitudo mediusfidius quò maior fuerit, eô præſtantior eſſe uideatur ipſa facultas cognoſcens, uerbi gratia: quiuis uel hoc uno Deum Opti. Max. excellere putat, cæteriſúe præferendum ducit: non ſolum quòd omnia cognoſcat, ſed eo præcipuè, quòd eadem certiſſimè diſcernat, ac (ut ita dixerim) intueatur. Item intelligentiæ ſuperiores hoc uno præcipuè cenſentur humana mente præſtantiores atq; nobiliores, quòd quicquid ab eis intelligitur, clariſſimè, id eſt, certiſſimè ſimul ab eiſdem cernatur: adeô potentiæ cognoſcentes quò perſpicaciori præditæ fuerint cognitione atq; clariori eô mehercules eædem omnino dignores ueniunt iudicandæ. Quam ob rem quotiens certitudinem efferimus nullā peritijs (artes ſint an ſcientiæ nihil refert) adferre dignitatē, de ea certitudine tûm diſſerimus, quæ ſocia rerum quarundam eſſe ſolet: ſcilicet quotiens res quæpiam ſuapte natura cuiuis etiā infantiſſimo uel ſtupidiſſimo ſic obuia eſt, ut etiam abſq; labore percipiatur, atq; cunctis per ſe ſit euidens: hanc porrò certitudinem adſeueramus maximum eſſe rei po-

tentiæ cuiusuis cognoscentis, argumentum: uidelicet inter substantias cognoscentes, eas omnino digniores censeri debere, quæ uiribus proprijs aptæ natæ sunt perfectè cognoscere, cum perfectio cognitionis non solùm ex modo cognoscendi, uerumetiam præcipuè (quod supra dictum est) ex claritate certitudineúe cognitionis petenda sit: adeò quemadmodum inter sensus inter se collatos euenire consueuit, ita si substantias intelligentes, à materia separabiles (quæ animæ rationalis est conditio) aut actu iã separatas, inter se contuleris: eã optimo iure dignitate prætuleris, quæ clarius propria natura simul ac euidentius, hoc est, certius intelligibilia dijudicat: adeò naturâ cunctis adparet, excellentiam operis substantiæ nobilitatem ob oculos constituere, quemadmodum hæc ad res ipsas certissimè dignoscendas aptitudo, nobilius opus esse suo contrario, uel omnibus promiscuè patet: cuius quidem rei uel illud abundè fidem facit, quòd solertes seu perspicaces ingenio, scilicet ad exquisitiorem certioremúe rerum intelligentiam aptiores, perfectius ingenium habere, præterea iudicij perfectioris homines, eodem iure perfectiores adpellare consueuimus. Itaq; quod proximo capite scriptis prodidimus, si noster intellectus nobilitate sensibus preferri debeat, non solùm cognoscendi modo perfectiori (quum a materia magis abstrahat) sed præcipuè claritate cognitionis atq; certitudine (quæ dubio procul fuerit perfectio longè

præstan-

præstantior) sensus aliquãdo superare debet: quod eum in hac uita mortali consequi nequeat, quandoquidẽ hic uelut offusus caligine cæcutiat atq; cõfusè cognoscat: omnino sequitur, diuersum ab hoc intellectus humani statu: admitti oportere, qui mortis ultra fines expacietur. sensus etenim interiores quanquam modum cognoscendi perfectiorem sortiuntur, quando magis à materia species abstrahant, tamen eosdem exterioribus sensibus ignobiliores esse non diffitemur: scilicet quatenus confusè ac per consequens imperfectè cognoscunt, quod uel ex eò patet, quòd interiores sensus falluntur sæpenumerò, exteriores uerò (modò necessariò requisitæ cõditiones adsint) nunquam hallucinari contingit. quòd si cogitatrix uirtus exterioribus præfertur sensibus, id profectò nequaquã alia ratione fieri præcipuè putandum est, quàm quòd imaginem proximè referat intelligentiæ, nẽpe quòd ipsa quoq; discursus instar unâ, quotiens uires suas exerit, particularia copulet atq; connectat.

SEPTIMA DEMONSTRATIO qua declaratur immortalitas intellectus. Cap. XIX.

SANCTUS Thomas suprà citato loco demonstrationem adinuenit pulcherrimam ad immortalitatem intellectus demonstrandam: cuius

quidem rei me primùm admonuit uir spectatæ probitatis simul ac eruditionis, Alexãder Saulus: cum alioquin huiusce rei planè ignarus, hanc eandem demonstrationẽ prius cõposuissem proprijs ingenij uiribus: idq; ijsdem omnino uerbis, quæ sequũtur hũc in modũ: Quũ animæ rationalis essentia recõdita sit ad modũ difficillimaq; , dubio procul ab operibus demonstratione signi, uelut à notioribus (quod Aristoteles in Physicis admonet) corruptio uel immortalitas eius petenda est: atq; primùm hoc tãquam omnibus promiscuè confessũ ultrò mihi dari uelim, nẽpe singulos homines in tota natura immortalitatẽ adpetere. quòd si quispiam proteruus id renuat, is profectò præter id, quòd contra mentẽ propriã loquetur, & aduersus interiorem orationem instantia ferri non potest (cùm Aristotele in posterioribus analyticis teste, tùm ipso naturali discursu cunctorum hominũ iudice) etiam inductione probari potest hunc in modum: Petrus, Antonius, Socrates immortalitatem adpetunt, & sic de singulis: ergo quilibet ad unum immortalis esse cupit. uerùm inquies hanc haud esse integram inductionem, quin potius mãcam atq; mutilam: siquidem cuncta nequeas inducere singularia, quòd nimirum agnoscere cuncta nequiueris; indeq; deficientẽ & imperfectam inductionem euadere, ac per consequens ex ea nequaquam uniuersale colligi posse: quippe quòd non nisi ex omnibus indiuiduis unâ per inductionem collectis, deduci nec

soleat,

soleat, nec possit. Atqui (quòd in commentatione magna Posteriorum analyticorum magnus Auerroes adnotat) inductio dialectica id iure quidem à nobis exigere uideatur necessariò, si debeat uniuersale colligere: nempe ut omnia prius agnouerimus per sensum indiuidua, scilicet quoniam in materia contingenti uersantur dialectici, quæ quidem contingentia, iuxta uarias temporum uicissitudines esse possunt ac nō esse: quandoquidē mutationi suapte natura, uariationiq; perpetuò sunt obnoxia. Verùm inductio demonstratiua, quippe quæ necessarijs hæret quæsitis infixa, pariter ac immutabilibus, minimè legem hanc subeat oportet: proinde uel ex unico particulari, conclusionem uniuersalem inferre liceat, quando similia quæsita seu passiones & adfectiones similes, ratione speciei singularibus insint, atq; ijsdem eatenus tantùm inditæ sint, quatenus eorum formæ seu speciei offenduntur esse participes: propterea quū immortalitatis desyderiū, huic homini uel illi nequaquam insit ea ratione, qua particulare est simpliciter (alioquin inesset quoq; lapidibus nōnullis posset, atq; alijs corporibus uel sensu carētibus istud desyderium) quin potius sub ea ratione, qua homines sunt: idcirco uel uno particulariter nobis agnito, quòd immortalitatem semper adpetat (nedum pluribus) uniuersalem necessariò propositionem inferre liceat, nempe quemlibet hominem, semper immortalitatē adpetere. Verùm de

hac

hac inductione fusius à me dictum est in eo tractatu, cui titulus est: Disputationes Medicæ contra Hieronymum Cardanum: ergo quiuis (ut ad diuerticulum redeamus) immortalitatē instinctu naturæ desyderat, atq; hoc fuerit argumenti primum, quòd molimur, adsumptum. secundum est, naturam incassum nihil frustraq; tentare, quòd ab eruditis omnibus ità receptū est, & ab Aristotele præterea probatum in Physicis: adhæc à Galeno præsertim in libris de usu partium: ut nemo planè possit offendi tā effrons, qui id in controuersiam uocare iam audeat. his itaq; suppositis, hunc in modum argumentor: Humano generi natura desyderium immortalitatis indidit, immortalis igitur est humanus intellectus: quando naturam temerè nihil frustraq; moliri suppositum sit. porrò mortalibus incassum inseruisset istud desyderium, ni quod secundum naturam cupiunt, aliquando consequi liceret: siquidē id uerè proprieq; frustra fieri dicitur, quod nullius finis gratia fit, exempli gratia: qui seminat, hoc agit, ut quandoq; messem legat: & qui uites putat, id operatur, ut maturis aliquando racemis botrisúe fruatur: in summa quicquid natura uel prudens homo tentat; quippequi naturam parentem imitatur, finis gratia laborat, atq; satagit: unde qui propter finē haud operantur, insani, temerarij, & absq; ratione creduntur operari, ac uerè nihil agere; quòd nimirum agendi uel faciendi ratio quauis à fine pendeat:

atq;

atq; is mediusfidius operari quidpiam temerè dicatur, qui nullo sibi præfixo fine, cuius gratia laboret, inconsyderatè quiduis adgreditur. Quam ob rem manifestum euadit, absq; ratione ac per consequẽs incassum, temereq; genus humanum inhiare immortalitati, si semel eô peruenire nusquã cõcederetur: adeô patet euidenter, immortalitatis desyderium adfectionẽ seu (quod aiunt neotherici) passionẽ ipsius immortalitatis esse propriam: ad hæc ipsam immortalitatis naturam, eiusdem esse desyderij causam nõ modò ueram, sed & eius effectus, quem in seipso quilibet experitur, immediatam, siue (ut latinè dixerim) proximam: quando causam ne fingere quidem ualeas aliam ullam, quæ scilicet inter immortalitatis naturam, atq; desyderium interueniat intercidatq;. Quapropter quum immortalitatis adpetitus, eiusdem immortalis naturæ proprius sit effectus, et eius adfectionis, immortalitatem esse proximam causam ostensum sit: omnino consequitur iuxta præceptiones logicas (in ea uidelicet organi parte, quæ posteriora analytica inscribitur) immortalitatem intellectus, à nobis abundè per eius adfectionem siue passionem propriam, posse demonstrari, scilicet à posteriori: quam quidem adfectionem, immortalitatis eiusdem, esse desyderium ipsum, satis superq; (ni fallor) probauimus; eo scilicet demonstrationis genere, quod demonstratio signi, seu demonstratio quia nuncupatur.

OBIE-

OBIECTA CONTRA DEMONstrationem adductam è medio tolluntur. Cap. XX.

IAM tempestiuũ uidetur, ut ea, quæ cõtra demonstrationẽ in mediũ adductã obiici posse putauimus, eadẽ pro uirili nostra semel infirmemus. Primò si adpetitus immortalitatis necessariò inferret euinceretq;, immortale esse, quod adpetit: sequeretur bruta, plantas, elementa, ad hæc mixta ex his omnia, esse incorruptibilia: sed quod inde sequitur est inconueniens, igitur & antecedens. porrò naturalia corpora quæuis immortalitatem adfectare, uel ex eo liquet, quòd (Aristotele in Physicis adsertore) quidquid est, adsimilari cupit ei, quod maximè est: nempe deo) iuxta illud: Ego sum qui sum) at id quod uerè est, incorruptibile est, ergo quod eius adpetit similitudinem, incorruptibile sit oportet: alioquin (quod supra dicebamus) hic adpetitus haud erit alicuius gratia finis, ac per consequens præter omnem rationem, atq; temerarius utiq; fuerit. sanè qui de natura loquuntur, huic obiecto occurrentes, eum adpetitum inquiunt, omnibus entibus (ut ità loquar) ingenitum atq; naturalem, minimè suo fine frustrari: quia licet entia corruptibilia nequaquã immortalitatem in particulari consequantur, eandem in specie nihilominus adipiscuntur. Hinc illud Auerrois, nempe: quòd natura rerum miseretur

corru-

corruptibilium, & immortalitatem, quam indiuiduis elargiri nequit, eandem impertitur in specie. itaq; iuxta demonstrationis adductæ suppositum, uidelicet omnia corruptibilia temerè immortalitatem adpetere non posse, quum eò si non in particulari, saltem in specie perueniant: secundum inquam illud suppositum, ad eam demonstrationem fulciendam, præsidij parum attulerit. Philosophus etenim nequaquam indiscriminatim absolutéq; pronuntiauit, cupere quodlibet ens adsimilari primo omnium enti, uerùm hanc adpēdicem adiecit scilicet: quatenus sua cuiusq; natura patitur. Proinde quum natura corruptibilium omnium, immortalitatis minimè sit capax, liquidò adparet singularia corruptibilium entium, eatenus tantùm incorruptibilitatem adpetere, quatenus eam sibi comparare possunt: idq; ne frustra (quod inconueniens est) adpetant: atqui per successionem tantùm interueniente continua particularium generatione, possunt eam attingere, eandem igitur in specie solùm adpetunt, quandoquidem eam hoc pacto solùm adsequi possint: unde sequitur intellectum humanum, incorruptibilitatem & adsectare, & examussim in specie scilicet, non autem in indiuiduo concupiscere, particularis ergo rationalis anima corruptibilis fuerit, quemadmodum & naturalia quæuis corpora. Verùm hallucinantur plus quàm disdiapason (quod dici solet) qui sic argumentantur. ut enim corpora naturalia do-

nemus, in specie tantùm incorruptionem adfectare: ita particulares homines, eandem (idq; anxiè) non in specie solùm cupere, sed in particulari quoq;, nequaquam imus inficias. Quotusquisq; enim est, qui sempiterna sæcula uiuere non cupiat? si quis hac in re dubitat, primò sui ipsius periculum faciat, num id non ratione speciei solùm conseruandæ, sed præcipuè suo prospiciens particulari commodo, illud ipsum desyderet: dein alios subinde quosuis interpellet, sciscitetur úe, num idem in seipsis experiantur, ac sentiant. At inquies forsitan: unusquisq; cupit in hac uita mortali sempiternum æuum uiuere, sequitur ergo (si tua ratio concludat) eos, aut ita uicturos in æternum (quod præter id, quòd impossibile esse ratio dictat, insuper cum experientia pugnat) aut saltem eisdem indidisse frustra naturam (quæ nihil alioquin agit temerè) desyderiũ illud. Siste gradum amice tãtisper, dum inquis: unusquisq; cupit in hac uita mortali perpetuò uiuere, isthæc enuntiacio me diusfidius haud absolutè simpliciterq; uenit efferenda, quin potius cum adiuncto uidelicet hunc in modum: unusquisq; luxui uentriq; deditus, utpote quẽ uentri mala consuetudo nempe sensualis, & luxuriæ finxit obedientem: quam quidem sensibilem facultatem ut plurimùm insequuntur homines posthabita ratione (cuius imprimis habuisse rationẽ oportuit) uelut ideam ac tanquã idolũ quoddã. Phylosophus enim in Topicis ita scriptum reliquit: Ani

ma

ma rationalis imperare quidem nata est, corpus autē parere, quanuis aliquādo contingat oppositum. sanè præstitisset dixisse fortassis: quanuis ferè semper contrarium succedat. si probauero non unū aut alterum offendi, qui uiuere semper haud cupiat in hoc tetro mortaliq; carcere, uniuersalis enunciacio illa profectò corruat, necesse est. non adducam hic adflatos diuino spiritu, sicut Paulum dicentem: cupio dissolui, & esse cum Christo, quòd nimirum mihi dissidium intercesserit & cum Ethnicis, & cum Christianis Phylosophis; sed tamen (ut sapere magis uideantur) Christi domini placita negantibus: qui ne pœnam uita dignam luant, tanquam Phylosophos se loqui prædicant; cum alioquin eorum aliquot se fideles tantùm fingant, re uera autem nihil credant: non adducam hic inquam Christi domini perfectos imitatores, utpotè seclusa penitus omni dubitatione, uitam præsentem pertesos, atq; uitam alterius sæculi mirificè cupientes: sed quamplureis hic Phylosophos in ius uoco, dein plebeos multos etiam Ethnicos. At quid in particularibus recensendis moror, quum illud idem probè quiuis, ac ut decet adfectus, nec omnino sensibus addictus experiatur inseipso? præterea nunquid naturæ non aduersatur è uestigio, si quod adsequi nunquam potes, & rerum natura uetat, concupiueris? Quare quum desyderium illud perpetuò transigendi uitam in hisce terrenis compedibus naturale non sit, quin

potius

potius ex diametro cum natura pugnet; nõ est quòd eam enuntiacionem quispiam uniuersalem esse putet. Instabis fortè rursus: quòd plerunq, uel semper fit, id esse naturale, prorsus admittẽdum uenit: at homines plerunq; uitam ducere perennem in hoc terreno carcere cupiunt, ergo desyderium istud naturale fuerit, non autem præter naturam. Quid ais? si dixeris id in plerisq; reperiri, uidelicet illud idẽ plerosq; concupiscere, ultrò tibi dabo manus auxiliares hoc in negotio. Verùm ut admittamus id plerosq; cupere, quandoquidẽ ultrò dominari plerunq; sensus rationi patiantur: ita nimirum in eisdem, haud uigere semper illud desyderium, nequaquam inficiamur. Quocirca iure minimè dixeris illud esse naturale, quod plerisq; tantùm inest, sed id insuper exigitur, ut eisdem insit semper: puta calefacere igni cuilibet, pariter ac frigefacere cuiuis aquæ sic inest, ut etiam semper insit. item immortalitatis desyderium simpliciter & perpetuò singulis inest hominibus & omnibus. At eiusdem immortalitatis desyderiũ in hac uita scilicet corporis, præter id, quòd omnibus haud inest, insuper non adest semper, iisdem quibus inest. Itidem desyderium sciendi omnia (quòd supra monstratum est) præter id, quòd omnibus (scilicet secundum naturam adfectis) inest, insuper iisdem inest perpetuò.

LOCVS IN ETHICIS DISCVTITVR. Cap. XXI.

EX superioribus planè colligitur, quî ueniat intelligendus Aristoteles libro Ethicorum tertio, ubi ait: Voluntas etiam eorum, est, quæ contingere possunt nemini, uerbi gratia, immortalitatis. Præterea uolũtas etiã ad ea pertinet, quæ nullo modo is qui uult, per se agere possit: ut siquis uelit histrionẽ illum uel athletã superiorẽ discedere. At nemo taliũ rerum consiliũ capit, sed earum dũtàxat, quas per se effici posse arbitratur. Præterea uolũtas est ultimi ac finis: consiliũ autẽ eorũ, quæ ad finẽ pertinent: uerbi gratia benè ualere uolumus, consiliũ autẽ capimus eas res adhibere, quibus benè ualeamus. Et beati esse uolumus, atq; hoc nos uelle dicimus: sed consiliũ nobis captũ esse, ut beati simus, neq; dicimus, neq; conuenit ita loqui. Omnino.n. consiliũ ad eas res pertinet, quæ sunt in nostra potestate. Ex quibus isthæc Theoremata decerpere liceat: primũ est, quòd uolũtas sæpe rerũ est impossibiliũ siue (ut Philosophi uerbis utar) eorũ, quæ cõtingere possunt nemini, puta immortalitatis. Secundũ est, quòd uolũtas ad ea pertinet, quæ nullo modo is qui uult, per se agere potest. Tertiò uolũtas est finis ac ultimi, quẽadmodũ consiliũ ad ea pertinet, quæ media sunt ad ipsũ finẽ consequendũ. Quartò ait consiliũ earũ esse rerum, quæ

constituta sunt in nostra potestate. Quòd ad primi theorematis discussionem attinet, si uoluntas est rerum impossibilium, omnino sequitur, naturale desyderium esse temerariũ, quòd nimirum ea uelit expetatúe, quæ nemini cõtingere possunt. nec licet hîc effingere desyderium siue uoluntatem rerum impossibilium esse præter naturam, quando supra definitum sit, id desyderium esse naturale, quod ex a quuo cunctis uel ab unguiculis (quod dici solet) inest particularibus hominibus: atqui passim omnes homines indiscriminatim, idúe tempore quolibet, immortalitatem adpetunt ac uolunt: ergo iuxta tertium suppositum, quo Philosophus inculcat, uoluntatem esse ultimi ac finis, quemadmodum consilium perhibetur esse mediorum, scilicet quorum interuentu finem consequimur: iuxta tertium inquam Aristotelis suppositum, immortalitas utiq; finis & ultimum, ac per consequens optimum quidpiam fuerit: quandoquidẽ eam tantoperè quiuis adfectet. quî Philosophus igitur adseuerat, ex eorũ numero immortalitatem esse, quæ nemini contingere possunt? quorsum attinebat indere particularibus hominibus immortalitatis adpetitum atq; uoluntatem, si nusquam eandem consequi non licet? equidem hoc in negotio crediderim (quidquid hîc mussitent mortalitatis animorum fautores) Philosophum immortalitatem intelligere corporis humani. hoc est, huius compositi, quod homo nuncupatur, non aut eius animæ partis, quæ intel-

lectus

lectus, seu mens adpellatur: propterea non dixit absoluté simpliciterq; uoluntaté esse rerú impossibilíú, sed hanc adpēdicē addidit: et ã nanq; si ita efferas: uoluntas eorú est, quæ contingere possunt nemini, falsã indubié protuleris enunciacionem: adpendicē propterea magno iudicio Philosophus adiecit inquiens: Voluntas etiam eorum est, quæ contingere possunt nemini, hoc est, impossibilium: uerbi gratia, immortalitatis, perinde ac si uerba fecisset hunc in modum: Ut donemus (quod optimo iure uel ultrò uenit admittendum) uoluntaté, in finem præcipuè uelut in ultimum & optimum, uidelicet tanquam in scopum collimare, idúe secundum naturam, hoc est, quotiens (quod naturale est) rationis iudicium insequitur, eiusúe legibus obtemperat: ut donemus inquam eorum esse uoluntatem secundum naturam ac propriè, quæ aut optima sunt, aut saltē optimi uices gerunt & ultimi, hoc est, finis: ita non dubitamus eandem nonnunquam ea prosequi, uelut ebriam & amentem, quæ nusquam (quod imposibila sint) consequi liceat: idúe potissimùm eidem uolútati contingere putandum est, quotiens irretita sensuum illecebris cœcutiens, postbabito rationis atq; mentis iudicio deflectit ad sensus, ac uelut amore capta, quidquid eisdem sensibus bonum adparet, perditissimè complectitur, ac ut eisdem obsequatur atq; moremgerat, dijs manibus (quod dici solet) ultrò se ipsam miserrimè deuouet, ac quemadmodum alter.

Quintus Curtius in terræ profondum biatum, pro salute patriæ se ipsum sponte coniecit: ita planè misera uoluntas, ut sensuum libidinem foueat, & eidem pariter faueat, in profundas errorum tenebras atq; caligines, uel de industria dataq; opera præcipitanter ruit, adeò præter naturam fuerit impossibilium adpetitus atq; uoluntas. proinde desyderium immortalitatis intellectus, inditum est cunctis (ne uno quidem excepto) particularibus hominibus, idúe tempore quolibet & ætate quauis indiscriminatim: immortalitatis uerò non intellectus, sed hominis, nempe compositi totius, cum præter naturam sit, omnibus nequaquam insidet hominum pectoribus: sed eos tantùm occupat, quos sternit sensus, ac ceu ludicris aut calamistris circumuenit: quos præterea sensus idem ita fascinat, ut etiam iugulet: adhæc quos uesana libido uentri aut ueneri uelut iumenta finxit obedientes. proinde similes, nempe sensuum illecebris irretitos atq; salutaria rationis monita pertesos, immortalitatem corporis humani quanlibet adpetentes: similes inquam uidere liceat, si non omneis, certè plerosq;, ubi senilem aut decrepitam ætatem attingerint, atq; collabi uires, non sensim quidem ac paulatim, quemadmodum in ætate consistentiæ, uel in primo senio, sed iam confertim senserint: tûm inquam rursus, eiusmodi homines ita corporis immortalitatem haud adfectant anxiè, ut etiã mortem corporis eiusdẽ ultrò desyderẽt, nedum abbor-

horreant: quandoquidem illis ipsis (præter id, quòd à morte corporis, immortalitatem intellectus omnes ita sperant, ut etiam penè certò sciant) abundè persuasum sit, præstare semel binc aliô migrare, etiam si fortassis unâ cum corpore rationalis anima prorsus intereat: præstare inquam intellectum semel occidere, quàm perpetuò corporis hisce compedibus discrutiari: adeô constat Aristotelem, immortalitatem humani corporis intellexisse, quando posteris scriptum reliquit, uoluntatem etiam eorum esse, quæ nemini contingere possunt (dein proximè subintulit) uerbi gratia immortalitatis: quòd uel abundè tertium eiusdem decretum seu placitum indicat, quo finis & ultimi uoluntatem esse determinat, quasi tacitè nobis indicans immortalitatem, quæ nemini contingere potest, eam esse, quam minimè finem et ultimum esse cõstat: præterea quam haud naturaliter, sed præter naturam plureis concupiscere liquidò adparet: adhæc quam apertè constat rem esse penitus impossibilem. cæterùm eius rei uel certissimũ fuerit discrimen, quòd adpetitus atq; desyderium finis & ultimi, simul ac optimi (quod idem est) naturalis sit, ac per consequens possibilis: res uerò impossibilis minimè finis & ultimũ, ac per consequẽs nec omnino bonum quidpiam esse queat: quò fit, ut optimo iure desyderium impossibilis eiusdem rei, naturæ cancellos atq; fines egrediatur, ac omnino præter naturam sit. porrò patet euidenter

immortalitatē corporis esse impossibilem, sed tamen non æque manifestum est, immortalitatem intellectus esse rem impossibilē: præsertim cū omnes indiscriminatim et quauis ætate uel ab incunabulis particulares homines, hanc eandem intellectus immortalitatem, uelut finem & optimum quidpiam anxiè cupiant, quod certissimè nobis commonstrat id desyderium esse prorsus naturale, ac per consequens nullatenus esse temerarium: quod alioquin temerarium foret atq; præter naturam, si nunquam illud idem nobis consequi liceret. atqui corporis immortalitas cum ab omnibus nequaquam adpetatur hominibus, et ab ijs à quibus adpetitur, ætate seu tempore quolibet minimè desyderetur: propterea naturalis hic haudquaquam fuerit adpetitus, quin potius præter naturam, præsertim cum id, quod desyderatur, omnino sit impossibile, ac per consequens finis boniq; uocabulo penitus indignum: adeô quodlibet impossibile prorsus non esse, scilicet sub ea ratione qua est impossibile: & per consequens impossibile quoduis esse malum: hoc ipsum inquā si non omnis, saltem exercitata diuinissimè naturalis ratio dictat. nanq; sicut ens, bonum, & possibile conuertuntur: ita mehercle non ens, malum, & impossibile, retro commeant adeô, ut quidquid impossibile fuerit & nō ens, illud idem extemplò malum esse deprehendatur.

CVR

CVR HOMINES ADPETANT *immortalitatem animæ, cum ea ſit immortalis. Cap. XXII.*

VVVLGATISSIMVM *eſt axioma ſeu prologuium, nempe neminem ádpetere quòd poſſidet, ſed quod non habet: quî fit igitur, ut anima rationalis immortalitatem deſyderet, quàm in ſuo ipſius (quòd impendio adſeruimus) naturæ gremio continet, atq; ſuapte natura poſſidet? ſanè ſi quis attentius diligentiusúe, quòd nobis ſecundum naturam euenire ſolet, ſcrutetur: homines nequaquam ſimpliciter immortalitatem adpetere comperiet (quòd alioquin Ariſtotelis interpretes, ſicco quòd aiunt pede prætereunt) quin potius uiuendi modum immortalitati congruentem. nanq; licet anima ſtatuãtur immortalis, hîc tamẽ quadantenus mortalem uitam geſtat, nec incorruptibilem uitam uiuit, quandiu concluditur hoc ergaſtulo, uinculis præpedita corporeis, quibus ob naturæ ſimilitudinem hæret, atq; hinc ob id ægrè diuellitur. ſed dices: quænam corruptibilis naturæ cùm incorruptibili ſimilitudo eſſe poteſt, cum inter ſe differant (quòd acutiſſimus adnotauit Auerroes) plus quã genere? Reſpondeo uel remotiſſimas naturâ ſubſtantias, aliqua ex parte ſimiles eſſe poſſe, quod ſic confirmo: prima materia ſiue primum ſubiectum, uel ab ijs Peripatheticis, qui rationalẽ animam incorru-*

ptibilem esse contendunt, similis esse perhibetur intellectui possibili: si res incorruptibilis adsimilari potest primo subiecto, quod alioquin adeô mancum & imperfectum est, ut quàm minimùm absit à non ente: cur non multò magis erit naturæ mixtorum similis? Præterea quodlibet ens (Aristotele in Physicis teste) ei quòd maximè est (Deo uidelicet) adsimilari cupit, quatenus sua cuiusq; natura patitur: ergo quòd est omne, quanlibet imperfectũ, substantiarum abstractarũ aliquã in se gerit similitudinem. si de quo minus in esse uidetur, & inest, ergo & de quo magis: at minus uidetur quòd aliquod inter corpora uilissimum, Deo omnium perfectissimo possit adsimilari, cum alioquin eidem aliqua ex parte saltem, esse simile concedatur: ergo multò magis corpori similis esse queat humanus intellectus, atq; hoc est nimirum, quòd Plato diuinus toties inculcat, nempe substãtiarum diuinarum imagines simulachraúe corruptibiles esse substantias.

OBIECTI DIFFICILIS INFIRMATIO. Cap. XXIII.

SUPEREST *ut rationem adsignemus, cur Philosophi plures magni nominis, intellectum humanum esse corruptibilem ultrò contendant, ac reuera sic esse opinentur. Nanq; si naturâ cun-*

ctis

ctis hominibus inest, uel in particulari uitam perpetuam adpetere, hoc est, immortalium uitam uiuere, & immortalibus dignam substantijs: quî fit (obsecro) ut plures uiri præclari, in causis præterea rerum indagandis exercitatissimi, mordicus oppositam tueantur sententiam? nam plures homines & loqui & operari præter rationem ac palàm insanire, prudentes & sapientes nequaquam admirantur, quoniam plures itidem concupiscentiæ sensuiq; seruiunt, utpote quos præter naturã uidelicet suam propriã, consuetudo alterius naturæ uicaria, ad malè agendum prona, ac uentri obediẽtiã finxit. At insignes Philosophi minimè censeantur præter naturæ suæ propensionem aliquid moliri. Proinde si cunctis inditũ est hominibus, nõ dicam immortalitatem adpetere rationalis facultatis, sed uitã immortali substãtia dignã uiuere: cur id præcipuè scientes eruditiq; nõ cupiunt? An ijs accidit forsitan, quod Mennoni, Zenoni, cæterisq; id genus sophistis euenisse testantur authores classici? Zenonem etenim (ut cæteros taceam quandoquidem unicum exemplum abundè sufficiat) Aristoteles adseuerat obstinatè motum negasse, scilicet hoc argumento: si datur motus localis, utiq; præter mobile, spacium quoq; dari dubio procul oportet, in quod mobile pertranseat: at spacium quodlibet infinitum est, & infinita pertransiri nequeunt, ergo motus uspiam offendi nequit. porrò spacium infinitum esse, sic probabat:

qui

qui totũ pertransit spacium, medietatẽ (mihi liceat ita loqui) prius trãseat oportet: atqui medietas ea diuisibilis cũ sit, medietatẽ quoq; suã sortiatur necesse est: at de secũda medietate prorsus idẽ est iudiciũ, ac de tertia quartaue. & sic de singulis: igitur unius spacij, medietates infinitæ cum sint, quando spaciũ quodq; sit continuum, omne uerò continuum infinitum esse constet; necessariò consequitur, infinita pertransiri, idq; in tempore finito, si semel admittatur motus localis: quum ex superioribus spaciũ quodlibet infinitũ esse pateat, adhæc unius horæ temporis portionem (quo tempore totum pertransitur spacium) finitum esse fateantur omnes, his atq; similibus nenijs, quæ fabulis simillimæ sunt anilibus, & suos & cæterorum irretiunt animos adeò, ut uel sensum ipsum iugulent atq; funditus deleant: quibus nimirũ hunc in modũ argumentantibus, aiunt Diogenem nihil prorsus respondisse; sed relicta sede, in qua quiescebat, cæpisse statim ambulare: scilicet ut actu seipsum mouendo uidentibus ipsiem, pulcherrimè uel ipso silente, sophismata eorũ eluderet. Quorsum hæc? apud omnes inconfesso est, dari motum uel ipso sensu indice, item motum adpetere cuncta corpora secundum naturam, eundem insuper esse uiuentibus omnibus instar uitæ: nunquid amabô propterea negaueris cùm offendi motum alicubi, tùm à nobis secundum naturam desyderari, quòd eundem unus uel alter eliminauerit & exulare tantisper

apud

apud nonnullos cæcutientes coegerit? obijties forsitan Alexaudrum Aphrodiseũ, atq; alios id genus insignes Philosophos, humanæ menti corruptionem adscribentes, haud sophistas, sed planè sapientes extitisse. Ego uerò occurrens huic rationi probabili, ato sapientes huius sæculi nonnunquam utpote tumidos elatosúe superbia, cæcutire turpiterúe delinquere, adeô sapientiam atq; scientiam exuunt aliquando, & instar eorum, qui laruati incedunt, sophistam induunt, idq; forsitan, ut præ cæteris sapere uideantur. adhæc fieri potest, ut si non data opera, saltem inconsyderatè uel inscienter deliquerint; scilicet quòd cum uni uel alteri obiecto respondere nequiuerint, hallucinati sint, quando neminem usquam reperias, qui non committat errores aliquando, quiúe perperam aliquoties quidpiam haud intelligat. Quidam alioquin magni nominis Philosophi putarunt, haud esse hodie eundem hominem aut equum, qui nudiustertius fuerat: idúe propter continuum materiæ defluxum. dic sodes, num propterea negaueris parentẽ aut fratrem uel amicũ te certò sensu cognoscere, uidelicet eundem esse, quo cũ antè sex menses, uerbi gratia, familiariter uersatus fueras? Quàm insaniant huius sæculi peritiores nõnunquam, ijq; primarij, declarat in collectaneis suis Auerroes: scilicet existimans absq; coitu posse mulierem concipere, atq; hoc fœminæ, cuiusdam callidæ testimonio, adeô non pudet eum effutire similia:

lia: Mulier quædam fide digna iurauit mihi, & quæ sequuntur: idq; uel plebeorū haud mediocri, nedum eruditorum cachino. Idem Auerroes secundo Metheororū cr ditse demonstratione numeris omnibus absoluta (quàm demonstrationem simpliciter nuncupat) ostendisse, regionem æquinoctiali subiectam esse prorsus, ob grandem caloris excessum, inhabitabilem: quum alioquin eandem regionem nostra tempestate, multis illuc ultrò se conferentibus atq; lucri gratia peregrinantibus, planè salubrem atq; temperatam multis in locis & agnoscamus & experiamur. dic obsecro, quid probibet, quò minus idem hallucinari possit unâ cum Alexandro Aphrodiseo, quanlibet eruditissimo: præsertim in hoc tam difficili de animæ rationalis immortalitate quæsito præcipuè quum inter eosdem summos Philosophos, in hac quæstione parum conueniat? Ergo quum experientia testetur sapientes, etiā ob alicuius ratiocinij particularis inscitiam: quippequi sophisma nonnunquā excutientes (idue contra suam ipsorum consuetudinem) demonstrationem perfectam esse putant: quū constet inquam quādoq; sapientes hallucinari, propterea licet Alexander è medio tollat immortalitatem intellectus, haud negare debemus, quod cunctis passim est euidens: nempe particularem quēlibet secundum naturā, uel ab infantia statim immortalitatem adpetere: hoc est, uiuere uitam non solùm immortalem, uerumetiā immortalibus dignam

atq;

atq; felicem, uidelicet innoxiam & ab omnibus doloribus immunem: quod quum rationi, corporeis uinculis præpeditæ nequeat accidere, neq; tamen id incassum desyderare queat, necessariò consequitur, animam aliquando rationalem à corpore solutum iri, ac immortali uita fruentem, ab omni noxa futuram prorsus immunem.

OCTAVA ET VLTIMA DEMONstratio signi, qua intellectus humanus à corruptione uindicantur. Cap. XXIIII.

OSTENSVRVS alia demonstratione signi, quòd intellectus humanus sit incorruptibilis, ultrò dari mihi uelim (quod supra uel apud omnes Philosophos in confesso esse diximus) nempe nihil agere frustra naturam: dein admitti cuperẽ homines, si non omnes ex æquo, saltem peritos, rectè edoctos, simul ac probos atq; mediocris ingenij prorsus cupere, rationem imperare sensibus; quòd uel in his uidere liceat forsitã, qui maximè uitiorum cœno merguntur: quod quia cunctis, haud euidens est, inductione uenit probandum: si de quo minus inesse uidetur, & inest (iuxta præceptiones Aristotelis in Topicis) ergo & de quo magis: sed minus uidetur, quòd siccarij atq; alij id genus homi-

homines facinorosi atq; pestilentissimi, cupiant rationem dominari sensibus, simul ac idem testentur, quòd tamen ipsi summo studio deuitare uidentur: quum alioquin illi, scilicet quotiens eorum mens, semotis tantisper sensibus colligit seipsam: & fateantur iustum esse pariter ac naturale, ut non quod sensus, sed quod ratio regina iubet, exequamur: adhæc è uestigio contra naturam esse prædicant, inferre uim cæteris hominibus, ac suis interea facinoribus uiuendi necessitatem prætexunt, aut aliud aliquid eius generis: ergo sequitur, omneis ad unũ homines, secundum naturam cupere, sensus rationi subijci, uidelicet unâ cum cæteris animæ uiribus atq; potentijs. at instabis: ut uniuersale corruat, unius abundè particularis instãtia sufficit: sed offenduntur nõ nulli usq; adeô obstinati, ut nulli unquam cedant rationi: præterea desperati penitus uel ultimis supplicijs expositi, puta qui feris obtruduntur dilaniandi aut obtrũcandi quouis modo: horum certè nonnullos nunquam commissorum pœnitet scelerum adeô, ut ex eis quidã effutiant, se uel maximè discruciari, quotiens hunc aut illum enecare nequiuerint. item qui uentri nimis addicti sunt, & quos uenus plus iusto delectat: horum nonnulli adeô non cupiunt irrationales adfectus rationi subijci, ut etiam prorsus nonnunquam lachrimentur & ingemiscant: ubi sublatis è medio fluctuantis concupiscentiæ tumultibus, præ senio uel morbi alicuius impetu, nequeunt

ampli-

amplius sceleratam uitam transigere. Equidem ingenuè fateor, audiuisse quēdam, cùm senio tùm præcipuè morbis confectum, coram iuuenibus idúe non per iocum, sed non mediocri molestia ac seriò (ut mihi quidem uisum est) differentem hunc in modum: si prospexissē futuris in iuuentute, cogitassemúe futurū aliquando, ut uenereis destitutus uiribus, cogerer similes delicias deserere (cautius dixisset se à uenereis illecebris deseri) laborassem utiq; manibus ac pedibus, ut adulteria, stupraúe longè plura cōmitterem. Rursus uidi senem octogenarium laborātem, qui quum in lecto tremebundus decumberet (id mihi retulit ex adsidentibus quidam) accersita nutrice quadā puella, manibus magno studio mammas eius tractabat, hunc intelligebam ætate iuuenili perditam omnino uitam duxisse. itaq; inquies: quum multi sint eiusmodi, sequitur, haud secundum naturam esse, quòd cupiant homines rationi sensus unà cum cæteris animæ potentijs subijci: quia quod naturale est homini quatenus homo est, id necessariò cunctis insit hominibus oportet. Verumeninuerò multa sunt naturalia, quæ mala uiuendi consuetudine, si non funditus euelluntnr (quod impossibile, esse, uel ratio naturalis ultrò suadet) certè saltem obscurantur, exempli gratia: nemò est qui nesciat hominem esse naturâ risibilem, quemadmodum & flebilem: hunc si morbus quispiam melanchonicus occupauerit; dein paucum in uenis admodum habeat san-

gui-

guinem bonum: hunc inquam uidere liceat adeò territum, et ab omni hilaritate penitus alienum, ut planè factus uideatur animal irrisibile. dic sodes? nunquid hunc adserueris propterea non esse risibilem? absit: quia quãuis actu ridendi destitutus sit, nihilosecius aptitudinem ridendi possidet, quàm tandiu retinet, quandiu spetiei suæ (cuius adfectio propria risibilitas esse perhibetur) cõpos cernitur. Ita nimirũ obstinati desperatiq;, adhæc omnes qui ob diuturnã malè uiuendi consuetudinem eô prauitatis uenêre, ut non sublata quidẽ, at certè plurimùm obscurata sit rationalis potẽtia, cupiunt rationi sensum anteire. porrò secundum naturam istud minimè fuerit, sed à mala cõsuetudine præter naturam inuectum: adeô uiget adhuc in mente quamlibet deprauata, ad benè iudicandum atq; desyderandum, si non actus, saltem aptitudo seu potentia: cuius quidem rei uel illud euidentissimum fuerit argumẽtum, quòd ij uel id genus alij, præter naturam cupientes rationi sensum imperare: si semel erudiantur, ac doceantur, quàm errent à recto tramite, tandem euicti rationibus, etiã si fuerint omnium hominum ignari, simul ac omnium impijssimi: tandem inquam euicti rationibus uelut à natura edocti simul & coacti, fatentur ultrò se facere iudicareq; perperam, atq; secundum naturam esse, ut ratio naturalis sensui legem præscribat, cui sensus ipse pareat: quanquam interea subnectunt eorum multi, penitus sibi decretum esse sensuum adfectus

sequi

sequi, simul ac rationem sensibus subigere, contra naturam. cæterûm hisce suppositis, quæ per inductionem fusissimè probauimus: nempe cunctos homines, si non actu, saltē aptitudine ac secundum naturam adpetere summis uotis, ut ratio iubeat & imperet, sensus uerò tanquam seruus minimè contra dominum atq; regem huius urbis intellectum obstrepat, sed ei potius obediat: præterea suppositæ eius enuntiacionis ueritate, quam omnes naturales passim admittunt, scilicet nil frustra naturam ipsam moliri: hisce duobus inquam suppositis, hunc in modum texo demonstrationem: Omnis homo secundum naturam cupit, sensum unâ cum cæteris animæ facultatibus subijci rationali potentiæ, neq; tamen id unquam licet hîc consequi: ergo necesse est alium esse locum, in quo id, quod tātoperè secundū naturā cupit, aliquando consequatur, at hoc contingere nequit in hac uita mortali (quod patet) igitur corrupto corpore cōsequetur illud idem: ergo Anima rationalis immortalis, alioquin contra supposita, naturā indidisse frustra rationali facultati tam grande desyderium imperandi sensibus, omnino uel inuiti cogemur fateri. Cæterûm homines naturâ cupere uim ratiocinatricē imperare, uel illud (quod supradictum est) certissimè declarat, quòd etiam omnium scelestissimi idipsum ultrò concupiscunt.

ANDREAE CAMVTII

Theoricam ordinariam in Gym nasio Ticinensi publicè profitentis.

De Humano Intellectu Liber Quartus.

RATIONEM SVBIICI SENSIbus esse præter naturam. Caput Primum.



ACTENVS proximo libro demonstrationes attulimus in medium, quibus humanum intellectum ab interitu uindicari posse confidimus. Nunc eas submouere dubitationes operæprecium esse duximus, quæ maximè negotium facessere uidebantur instituto nostro, simul ac eorum obiecta diluere, quæ cùm unitatis intellectus inuentores, tùm præcipuè corruptionis eiusdem & fautores & adsertores commenti sunt. Diximus antè, dum septimam erigeremus demonstrationem, id quod plerisq; tantùm inest, haudquaquam esse naturale: sed id insuper exigi penitus, ut illud idem, eisdem quoq; semper insit. Hinc uel illud optimo iure corrolarium minimè pœnitendum

dum inferre liceat; nempe rationem subijci sensibus: quanquam id hominibus infixum est plerisq; , tamen eisdem inesse præter naturam; quòd uidelicet id ijsdem perpetuò non insit, quin potius suum contrariũ, (quod naturale est) nonnũquã emicat, uiresq; suas exerit: scilicet ad quas in lucem proferendas (natura dictante quàm cõsuetudo uitiarat) aptum atq; propensum est humanum genus: idúe non consuetudine, uel natura communi (sicut suum contrarium) non indiuiduali quadam proprietate, quin specifica potius ratione: quandoquidem licet ratio plerunq; succũbat (quæ hominis aut species est, aut saltẽ speciei uices gerit) uincere tamen semper cupit. Vnde neminẽ uidere liceat tam prauum, adeoq; corruptis moribus, quem aliquãdo patratorum scelerum haud pœniteat: quanuis partim ob malam cõsuetudinem, partim ob naturam cõmunem (quæ uidelicet in hominibus materiæ uices gerit) nempe sensibilem facultatẽ, paruo negotio mox ad uomitum redeat atq; relabatur. præterea (quod mirum est) neminem uideas quanlibet prauum, ac uitijs addictum: nullum reperias adeô monstruosum sensus carnisúe mancipium, quod si non semper, saltem statutis horis quibusdam (quotiens uidelicet igniculus ille rationis minus opprimitur à sensibus) non doleat uicem suam: non cupiat subijci rationi sensus: non fateatur tandem se delinquere: præterea qui bonorũ uitam haud commendet, quiúe iustos, bonos, atq; secundum natu

ram uiuentes hominis propriā, non admiretur: adeò constat eosdem singulis horis, etiam quum de malefactis maximè gloriari uidentur, interius torqueri, atq; (quod præter naturam est) uim pati: quod quidem præcipuè, præter id, quòd illud idem ipsi faten tur, etiam uultus ostendit: quando tota facies mutetur in peius, atq; oculi potissimùm in omnibus ijs (quotiens in malefactis perseuerant, & habitum cō trahunt) ita mutantur, ut cæteris uel terrorem incutiant aspicientibus. Quocirca licet rationem subijci sensibus offendatur in plerisq; , tamen quoniam id eis perpetuò non inest: præterea quòd uel eo tempore, quo id inest, intrinsecus inter se dissident animæ facultates (haud, secus ac in re publica, quotiens diues plebeus quispiam, satellitibus undiq; stipatus con tra Principem suum insurgit) et euidenter uexant, aguntúe compositum ipsum; hoc est, hominem uelut iumentum in præceps, conculcato per uim huiusce uidelicet opificij machinæ domino: propterea rationem parere sensibus ita naturale non est, ut etiam toto genere sit, non modò præter naturam, uerùm etiam (quod magis urget) ex diametro contra naturam: siquidem quod naturale est cōposito, illud idem cui inest, conseruat, simul ac quietem ei largitur atq; iocunditatem, modò compositum id agnoscat: adhæc si non quietem, sed motū suo forsitan composito tribuit; certè talem ei motum impertitur, qui uiolentiā omnem (si fieri possit) arceat à composito, & qui

maxi-

maximè conducat ad eius conseruationem atq; salutem, quod nimirum hoc loco quietem adpellare lubet: ut id esse quies (impropriè uidelicet abusiuéq; loqnendo) corpori cuilibet intelligatur, quod ei bonum adferat, quodúe semper ei prosit, & nunquam obsit: tale inquam eidem corpori naturale fuerit, quod uerò contrarium operatur, id profectò contra naturam, aut certè præter naturam esse, scilicet ei, cui dudum inest corpori, non diffitemnr. Quapropter quum rationem imperare cæteris animæ facultatibus, homini pacem adferat atq; iocunditatem: præterea compositum ipsum incolume seruet: deinuelut in urbe adfabrè disposita (quod exemplum inprimis Plato, demum Aristoteles attulit) cuncta ritè, prout conuenit, ac secundum naturæ legem omnium, quæ reperiũtur in hoc hominis composito, potentiarum, peragantur: quî negare audeas, merũ ac mixtum (ut ita dixerim) in hoc hominis domicilio rationis imperium, non esse naturale? quòd si id fatemur, quemadmodum certè fateri cogimur, nonne protinus oppositum suum, esse contra naturam colligitur: idq; non uerisimiliter ac dialecticè, sed necessario? nam huic enuntiato uidelicet; secundum naturam esse, rationem dominari sensibus, simul ac cæteris animæ potentijs: è uestigio isthæe opponitur propositio contradictorie: scilicet non dominari sensibus rationem secundum naturam esse: at rationẽ subijci sensibus, æquipollet huic, quæ est, rationem non im-

perare sensibus: ergo rationem subijci sensibus, contradictoria fuerit eius (quo ad significatum quamuis non secundum uocem) quæ est rationem sensibus imperare. porrò quum lex naturæ doceat (cui Logicæ præceptiones ultrò subscribunt) cõtradictorias enũtiaciones, nusquam offendi posse simul ueras (modò conditiones omnes adsint ad contradictionem requisitæ, de quibus ex professò nimirum in Elencbis agit Aristoteles) si uerum est naturale esse, rationem dominari sensibus, unà cum cæteris animæ facultatibus: utiq; rationem subijci sensibus, simul ac cæteris animæ potentijs (quòd eius contradictoriæ nimirum æquipolleat) falsa necessariò fuerit: ergo non dominari sensibus rationem, seu (quod prorsus idem est) subijci sensibus eãdem, ac cæteris animæ facultatibus, siue partibus (quomodocunq; libeat adpellare) naturale uel secundum naturam minimè fuerit: sed id necessariò contra naturam esse, aut saltem præter naturam, ex superioribus necessariò, simul ac euidenter colligitur.

QVI SECVNDVM NATVRAM sit, rationi sensum reluctari declaratur. Cap. II.

AT instabis rursus: si præter naturam est rationi sensum imperare, cur non plerunq; sensus rationi subijcitur? sanè difficilis est

hic nodus, siquidem omne quod est, à natura, uel ab arte, uel à casu fieri dicitur: At id quod dicimus rationem subijci potentijs inferioribus animæ, non est à natura (quod supra satis superq; probatum arbitror) nec ab arte: quandoquidem sub aliquo minimè contineatur habituum humanæ mentis: relinquitur igitur, ut à casu uel à fortuna proficiscatur. Atqui Philosophus in physicis ea tantùm à casu uel à fortuna esse docuit, quæ rarò contingunt: à natura uerò pẽdere censet, quæcunq; uel sẽper, uel utplurimùm eueniunt. itaq; quòd ratio ferè semper sensibus pareat, cum id in pluribus eueniat, à casu uel à fortuna proficisci minimè poterit. sanè hic altius exordiẽdum est: Inter Aristotelis interpretes in dubium uocari solet, nûm plures in uno corpore species esse possint. Equidem (quod Auicennæ plurimùm adrisit) crediderim utriusq; sectæ Phylosophos, paruo negotio posse conciliari: siquidẽ plures in uno corpore species seu formas coire posse, cùm ratio, tùm experientia conuincit, uel unius hominis exemplo: cui motricem, altricem, sensitricemúe facultatem inesse, nemo prorsus ambigit: quæ potentiæ cum substantiæ sint, necessariò materiæ uel species sint oportet, quandoquidem eas facultates minimè compositas substantias esse satis pateat. si eas impendiò formas esse dixeris, quòd multis corporibus & nomen & diffinitionem impertiantur: sicut altrix potentia plantis, & animantibus sensibilis: in homine demũ, cui dubio pro-

sul eædem insident, neq; tamen ab eisdem, hominis nomen atq; ratio desumitur, num hominis species, aut materia dici debeant, tantisper hæret animus, at id dubitationem omnem eliminat excluditue, quod idem esse materiam simul ac speciem, non respectu quidem eiusdem, sed ratione diuersorum, nullum penitus est inconueniens: adeò uegetatrix uerbi gratia (quod uel in tractatu nostro de sacramento ordinis adnotauimus) quæ plantarum est forma, species animantium efficitur, & sensilis facultas, species animalium simul ac hominis materia est: adhæc elementorum formas, quotiens ad corporum generationem concurrunt, materias effici ratio suadet. hinc nimirum emersit illa distinctio, nempe materierum aliam esse primam (quæ passim informis esse perhibetur, quæue unica censetur in omnibus) aliam uerò secundam, quæ multiplex est adeò, ut tot penè sint secundæ materiæ, quot sunt species. Proinde quum hæ facultates atq; aliæ id genus multæ, necessariò materiæ secundæ sint aut species, & per consequens naturæ: quæcunq; proficiscuntur ab eis operationes, eæ dubio procul à natura fuerint, atq; secundum naturam. porrò fieri potest, ut idem opus, unius respectu naturalis sit, alteri uerò collatus præter naturam, uerbi gratia: manu proijcio lapidem in supremum aera, hic sanè motus manui tanquam efficienti causæ naturali collatus, utiq; naturalis esse censetur: uerùm motus idem eatenus contra naturam esse iudicatur,

tur,

tur, quatenus est in lapide; siquidem proijcere quidpiam quocunq; uoluntas iusserit, id sanè manui naturale est: quanquàm lapidi seu graui cuipiam alij corpori, et præter naturam est & contra naturam, scilicet ut in sublime tendat. Eadem ratione soluitur grandis illa medicorum dubitatio: uidelicet nùm uomitus, naturalis motus sit, aut præter naturã: ex qua pauci hactenus emerserunt, quando Galenus dicat, modò uomitum ex toto genere præter naturam esse, modò testetur eundem ab expultrice fieri facultate, quam naturã esse nemo diffitetur, quin potius illud idem quiuis constanter adseuerat: eadẽ inquã ratione tollitur obiectũ illud insigne, quia uomitus respectu materiæ, quæ foras pellitur ab expultrice facultate, præter naturã est: tùm quòd ipsam quoq; materiam præter naturam esse constet et corpori noxiam: tùm præcipuè, quoniam suaptè natura grauis est, & graui repugnat ferri sursum, atq; per os expelli: quandoquidem ipsa suapte sponte reperet, utpote grauis, ad intestina, ni uirtus superior expultrix ei uiolentiam inferret. porrò sicut motus idem quatenus à uirtute proficiscitur expultrice, quæ species est seu forma, naturalis est: et quatenus inest corpori graui, præter naturã esse dicitur: ita fit, ut cũ plures naturæ particulares sint in uno cõposito, una turbare possit aliã & impedire: atq; hoc est nimirum quod magno iudicio Philosophus (ut sẽper solet) octauo Physicarum auscultationum textu

uigesi-

uigesimotertio, iuxta sectionem Auerrois, scriptis prodidit: nempe moueri corpus ab anima quandoq; contra naturam eiusdem corporis, siquidem animantium corpora maiorem in se molem elemētorum grauium continent, quàm ignis & aeris: propterea necessariò feruntur deorsum, & grauia sunt, quòd lex naturæ sanciuerit iusseritúe, prodire motum in mixto quolibet ab elemento dominante, quoniam elementum illud dominans, in mixto speciei uices gerit. Itaq; corpus animalis est graue, ipsa uerò anima secundum naturam (non corporis) sed propriam, ad quanlibet positionis differentiam mouet: hoc est, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, antè & retro. uerùm quotiens animal benè ualet, ac robustum est, quoniam anima tunc magnum in corpus dominium obtinet, ob id corpus non reluctatur euidenter animæ: propterea secundum omnem positionis differentiam, permittit se circunduci: atq; hic motus quãquam contra naturam solius corporis est, nihilosecius & animæ, & toti composito naturalis est. At quotiens ob senium aut morbum, corpus imbecillum redditur, ac tremit: sanè tûm ex æquo penè cum anima rude corpus dimicat, ac de uictoria cõtendit; inde fit, ut trahente deorsum mole corporis, idúe quasi uiribus æquis: cõtra uiribus animæ sursum pro uirili sua corpus erigentibus atq; pugnantibus: inde fit inquam, certantibus inter se corporis animæq; uiribus, ut mixti partes interea tremant, et quodammodo ua-

do uacillenti. hinc magnus Galenus libro de symptomatum causis secũdo, tremorẽ, neq; naturalẽ motum neq; præter naturam, sed ex utrisq; mixtum adseruit: scilicet quia partim ab anima, partim à corpore, cum ea scilicet æquis penè uiribus pugnante, procedit. Cæterùm si compositum eò imbecillitatis ueniat, ut anima nullo pacto perferre amplius, sustinereúe corporis pondus nequeat, corporis uidelicet uiribus, animæ uirtutem ac robur longo interuallo superantibus: tùm languidum iacet animal, ac non imbecillè tantùm (sicut in tremore) sed iam morbosum adpellatur. Atq; motus hic, grauitate corporis deorsum contra subleuantem animam trahente, quanquam præter naturam est animæ, naturalis tamen utiq; fuerit corpori: cur igitur absolutè simpliciterúe præter naturam esse dicitur? an quia quotiens de specie particulari quapiam disputatur siue corporis cuiuspiam, haud rei cuiusuis natura quæritur, sed eius precipuè, cuius gratia disputatio fuit suscepta. Etenim quoduis mixtum cuius natura quæritur ex professo, parteis in seipso pugnantes includit, ex quibus conflatum est, quæ corporum sublunarium, qualiacunq; producantur est conditio. Nos porrò partiũ naturam primariò nequaquam inquirimus, quin potius per accidens ac secondariò: eatenus scilicet, quatenus ad compositi totius speciem internoscendam conducunt.

QVOD

QVOD NOBILIVS EST, SECVNdum naturam imperare declaratur: præterea rationi sensum obluctari, nequaquam esse præter naturam penitus, ostenditur.
Cap. III.

QVAM ob rem si partis compositi particularis natura, speciesúe particulæ illius propria, totius compositi speciem turbauerit, eiq; aduersetur: profectô pugnam illam iure dixeris esse præter naturam, idúe simpliciter & absq; adiuncto; quia licet (exempli gratia) naturale sit corpori, ratione dominantiũ elementorum ferri deorsum; haud tamen eidem corpori scilicet (cum hac adpendice) cum anima connexo, illud idem naturale fuerit, sed præter naturam. Quam ob rem corpus si per se consyderetur ut ab anima separatum, utiq; species eius eo casu fuerit elementum dominãs, aut aliquid aliud simile: sin autem corpus ipsum speculeris, ut compositi huius (quod animal adpellatur) pars est, mehercules eius speciem minimè dixeris elementum esse dominans, neq; simile quidpiam aliud, quin potius animam eius esse speciẽ enuntiabis: adeô quod prius in imperfecto corpore consueuerat esse forma (quòd ei mixto tunc haud inesset facultas nobilior) nunc ob speciei nobilioris præsentiam, quam imperare iustũ est, materiæ uices gerit. Atq; hoc

hoc naturæ lex iubet, naturæ inquam non particularis rei cuiusuis, quæ potius oppositum dictat: sed uniuersalis, quæ quidem uniuersalis natura, quemadmodum suopte ingenio nobilior est atq; præstantior speciebus, seu naturis particularibus: ita nimirũ eisdem fortior est, atq; potẽtior: adeô nobilitatis atq; dignitatis rerũ, cùm naturalium tùm etiam diuinarum, socia semper aut saltem in naturalibus, ut plurimùm esse solet uis, robur, atq; potentia, alioquin à casu res forent eiusmodi, non autem prouidentia. Nanq; quum dignius imperare minus digno naturale sit, ac per consequens iustum, & ob id quoq; rationi nostræ, utpote naturali rei congruum atq; conueniens: quum dignius inquam imperare minus digno iustum sit (quod aliâs probauimus) & à natura pendeat: ut idem quoq; præstare possit, quod debet, & ad quod propensum est, ab eadem natura suscepit: quæ frustra profectò sicut alijs in rebus, ita perfectis in mixtis eorumúe formis perfectioribus, dignitatẽ atq; præstantiã (qua cæteris eiusdem compositi speciebus materiæ uicarijs, ac ob id sibi subiectis anteiret) indidisset, ni uires atq, potentiã pariter eisdem condonasset: quibus scilicet uiribus, inferioribus illis (quod eam dignitatem præstantiamúe naturæ decet) illud idem quòd decet, exequi potuisset. Quam ob rem in hisce mixtis sublunaribus quantò magis quidpiam compositum est, tantò perfectius esse deprehenditur: quum alioquin in ijs, quæ supra

sphæ-

spheram ignis circũaguntur, quiduis cô perfectius esse doceatur, quò simplicius minusúe compositũ extiterit: quod in intelligentijs potissimùm adparet, quarũ prima (quæ Deus est) ita compositionis expers esse creditur, ut actus purissimus existimetur, ab omni potẽtia penitus immunis. redeo ad mixta corruptibilia, quæ quò simpliciora fuerint, ut elementa quatuor: aer, aqua, ignis, ac terra cô imperfectiora sũt: idúe sic dictante cõmuni sublunarium lege mixtorũ, atq; natura pariter communi. isthæc nanq, si fuerint simplicissima, ex una solùm constabunt forma atq; ex unica materia; quæ primùm cunctorum generabilium est subiectum, & materia prima nuncupatur: cui legẽ primò præscribit simplicium elementorum forma, uelut eius regina, cuius legi primum illud subiectum parere cogitur: cætera deinũ, quæ non proximè seu immediatè constantur ex primis elementorum formis, primaq; informi materia, sed ex quatuor elementis: scilicet corporibus primis atq; simplicissimis, tanquam ex propria materia proximè fiunt, atq, ex alia specie seu forma, ab ea quæ fuerat elementorum simpliciũ longè diuersa: in hac secunda compositione, non primum informe subiectũ est propria proximaq; mixti materia, quin potius quatuor simplicium corporum species, quanquam Galenus complexionem putat esse formam: adeô quæ prius formæ simplicium fuerant, postea corporum compositorum efficiuntur materia proxima: quæ qui

dem

dem materia, cum informis minimè sit, quemadmodum prima compositorum corporum remotaq́; materia, sed formata: nihilominus nouæ compositi formæ collata, instar informis materiæ, subijcitur eidem nouæ mixti formæ: cuius imperio subditur, & ab eâ leges, uelut à domina suscipit. Verùm inter obsequium primæ secundæq́; materiæ, quòd utraq; suæ speciei reginæ præstat (quod naturale iustumq́; est) illud discriminis intercidit, quòd primũ informe subiectum, primæ simplicium corporum speciei necessariò pareat: quãdo nihil habeat intrinsecum, quòd illud impediat, quo minus reginæ suæ speciei legibus obtemperet: secundum uerò subiectum atq; materia secunda, quum simplex minimè sit, quemadmodum informis illa prima materia: sed ex complexione quatuor qualitatum inuicem pugnantium constitutum sit, per consequens, præter ea quæ lædunt forinsecus, hostes insuper intrinseci uetãt impediuntúe, quò minus obsequatur imperio speciei. Itaq; certamen internum, quod dissidentium quatuor inter se qualitatum cõnexus parturit, secundam hanc materiam arcet ab imperio speciei dominæ, cuius alioquin tenetur obtemperare legibus, & inseruire libenter (ut ita loquar) ac quotiens isthæc secunda materia cum specie sua domina prælium init, eiq́; contra compositi legẽ (quam eius forma sanciuit) reluctatur, agit præter naturam: non quanlibet, sed præter naturã illius mixti naturalis, cuius ea secunda materia portio est.

tio est. Quocirca quāuis ignis simpliciter ut ignis est, secundum naturam uidelicet suam operetur, quotiēs alia destruit elementa: tamen quatenus est huiusce mixti naturalis pars, & eius formæ: iuxta legem naturæ communem, (quæ portiunculam ignis eādem addixit huic particulari composito) ueluti mancipiū: quatenus inquam huiusce mixti naturalis portio est, idūe cōmunis naturæ legis imperio, eatenus particularis eius mixti naturæ (hoc est, eius formæ) cuius pars est, tenetur obsequi. Proinde ut ad institutum aliquando redeamus, unde pulchritudine rerum allecti nuper diuulsi sumus: facultatē altricem, motricem, atq; sensificam, agere quidem fatemur secūdum naturam suam, absolutè separatimúe consyderatam: quotiēs uidelicet rationi seipsam opponit, quòd probatur: quoniam agentia naturalia cum sint; & per consequens agāt necessariò, adhæc eadem ratione nihil perperam committant: si non seorsum simpliciterúe consyderentur, sed sub ea ratione (uerbi gratia) qua partes hominis sunt: sanè tunc earum quælibet dubio procul formæ huius compositi, hoc est, hominis, tanquam reginæ mandatis parere tenētur. Verùm quoniā in hisce sublunaribus, nihil usquam absolutum perfectumúe reperiri potest, ob continuā cùm extrinsecus, tùm intrinsecus pugnam: enixè laborandum est, ut eius tumultus, scilicet quatenus id fieri potest, rationis iudicijs compescamus: quando naturarum infernarum ea sit imbecillitas & imperfectio, ut

ctio, ut perpetuò secum pugnent. At (quod mirum est) ex ijs dissidijs paratur, ob continuam mixtorum particularium, tùm generationem tùm corruptionem, successiua perseuerantia specierum atq; diuturna salus. Itaq; quod sensus contra rationem quidpiam moliantur, quanquam re uera præter naturã est: scilicet eius compositi, cuius species per anthonomasiam excellentiamúe natura dicitur: uidelicet collatione facta cum cæteris eiusdem compositi partibus, nempè (quod suppositum est) sub ea ratione consyderatis, qua compositi illius sunt partes: quanuis inquam rationem sensibus subigi, præter naturã sit, cum id obediat, quod secundum naturæ superioris legem imperare debet: tamen si consyderentur animæ facultates, non ut compositi illius partes & materia sunt, scilicet secunda, secundum quam consyderationem compositi formæ, iuxta superioris edictum subiectæ censetur, quin potius in se simpliciter, & in sua ipsorum natura contemplentur: tùm meritò non iniuriaúe dici poterit secundũ naturã (uidelicet eius partis per se cõsyderatæ) uim sensilẽ operari, unâ cum altrice atq; motrice, quãuis præter inclinationẽ, instinctũ, iudiciumúe rationis id fiat: propterea si rationi sensus reluctari, penitus præter naturã foret, profectò fieri nõ posset, ut in plerisq; sensus rationẽ uincerẽt: quãdo quæ uerè proprieq; præter naturã fieri creduntur, frequenter & ut in pluribus euenire non possint, sed rarò accidant. at cum

sensus præter rationis edictum agere tẽtat, si id naturale, non est rationi (cui secundum naturæ superioris legem parere sensus debet) uel composito: saltem sensibili facultati, altrici simul ac motrici naturale fuerit, idúe non ut compositi partes sunt, sed eis absolutè simpliciterúe cõsyderatis id naturalissimũ est (nedum naturale) quanquã ab eo quod ratio dictat, diuersum adpetere uideatur: cuius quidem rei euidentissimum fuerit argumentum, quòd bruta rationis expertia, penè contrarium in ipsis adpetant, eius scilicet, quod in hominibus adpetendum esse iubet ratio.

EX SVPERIORIBVS OBIECTI *difficilis in arte medica solutio colligitur. Cap. IIII.*

AD eundem modum dilui potest medicorum quorundam obiectum, uidelicet nunquid dũ uomitus fit, existente materia (quod sæpenumerò contingit) in infima parte uentriculi: uel in ipso expulsionis actu, pars inferior eiusdem uentriculi coarctata suapte sponte, uiribus expultricis facultatis sursum fertur, cum alioquin graue sit corpus: nunquid inquam contra naturam motus esse uideatur, quòd nimirum graue sursum feratur. Atqui motus præter naturam, à principio pendet extrinseco,

seco, non autem ab intrinseco, quòd patet: huiusce uerò fundi seu partis infernæ uentriculi motus, à principio uentris ipsius proficiscitur intrinseco: nempe à uentris natura, quando uim uentri cuilibet expultricem (quemadmodum & attractricem alteratricem, atq; retentricem) dubio procul ex Galeni libris de facultatibus naturalibus inesse cōstet. Hinc manifestum euadit, inesse uentriculo duplicem naturam; quarum altera communis est, atq; uentriculo materialis (quanquam unica deprehenditur in simplicibus esse forma seu species) altera uerò uidelicet facultas expultrix, eidem uentriculo propria est & formalis, sicut & aliæ tres enumeratæ: quarum omnium efficiens proximum ipsamet uentris forma fuerit, eaq; nō ultima & simpliciter maximeq; propria (quæ sola propriè rei species est) sed ita uētris ipsius forma est, ut eidem communis sit, unâ cum cæteris partibus animalis: quandoquidem animalium quoque partes aliæ, quatuor hisce facultatibus naturalibus præditæ sint. Ergo quanuis attolli sursum in sublimeq; partem uentris inferriorem, præter naturam sit; non quanlibet, sed tantùm contra naturam illam, cōmunem: scilicet quàm à simplicibus corporibus & elemētis olim accepit quasi mutuò (ut sic dixerim) ipse uentriculus: quæ quidem communis natura, licet in elementis foret species siue forma, nihilominus in uentriculo deprehenditur esse subiectum atq; materies: quanuis inquam in sublime tolli partem uen-

 tris

tris inferiorem, (dum fit uomitus) utpote grauem esse contra naturam communem ab elementis acceptã, uelut ex diametro fateamur: tamen illud idem opus, nempe sursum ferri portionem hanc uentris grauem, dum euomimus: eundemúe motum esse naturalem, & à natura uentriculi pendere, hoc est, à facultate ipsius expultrice, nequaquam imus inficias.

SENTENTIA PHILOSOPHI DE *Temperantia in Ethicis in dubium uocatur. Cap. V.*

SED inquies Philosophum in Ethicis adseruisse, temperatum subegisse rationi sensum adeò, ut rationi non solùm subiecti sint, quin etiam nullo pacto cum eà contendant, sed eidem ultrò uel absq; pugna obsequantur in omnibus. ibidem addit, continentiam haud esse uirtutem, quin potius uiam seu motum ad uirtutem ipsam: quoniam in ea sensus licet minus possit, quàm ratio, & ob id rationi utpote potentiori sensus idem subijciatur, adhuc tamen pro uirili contendit, atq; tantisper eandem operantem remoratur: in temperato autem sensus longa consuetudine (quæ non amplius est dispositio, sed habitus) sic iacet euictus, ut contra rationis imperium ne hiscere quidem audeat: unde fit, ut tempe-

rdtus uelut subactis adamussim cæteris animæ potentijs adeô, ut ne latũ unguẽ (quod dici solet) abscedere ab imperio rationis audeant, nedũ obstrepere ac reluctari: tẽperatus inquã præterea perfectissimè operatur, ac felix est. Quare dices forsitan, explere posse, potentiã rationalem aliquando quod mirificè secundum naturã desyderat: scilicet ut adamussim sensum unã cum cæteris animæ facultatibus, suæ (ut ita loquar) ditioni, suoq; subijciat imperio, idq; in hac uita mortali: nempe ubi temperatus euaserit, ac sic abundè satis fit eius desyderio, quod omnibus inest hominibus secũdum naturam, scilicet ut rationi sensus adamussim obtemperet: quò fit, ut minimè sequatur, naturam incassum hominibus indidisse desyderium istud, uidelicet ut ratio sensibus examussim imperet, ac cæteris animæ partibus atq; potentijs. Verùm si licet usquam ab Aristotele dissentire, primùm ut refellere non ausim apertè falsum esse, continentiam haud esse uirtutem, sed uiam tantùm ad uirtutem atq; motum, quòd ipse fortassis habitum perfectionis in moribus adquisitũ longa consuetudine, uirtutem solùm intelligat: ac subinde continentiam, non habitum (qui uirtutis genus est, & ob id in eius diffinitione collocari solet) sed dispositionem esse putet: ac per consequens continentiam, nomine uirtutis indignam existimet, quoniam ad uirtutem uia non est uirtus: Vt id inquam renuere mordicus non ausim, ita continentiam esse quodammodo uirtu-

 tem,

tem, defendi posse crediderim. primò quoniam habitus & dispositio sunt eiusdem speciei, ut ex eodem Philosopho colligitur in prædicamẽto qualitatis, nec differunt in se (ut recentiorum uerbis utar) nisi secundum magis & minus. Vnde qui discit musicam aut grãmaticam, quanquam absolutè simpliciterúe musicus aut grammaticus dici nequit, quòd dispositus sit tantùm, & habitũ nundum habeat: si tamen ualde progressus fuerit in hisce peritijs aut artibus, licet nundum attingerit metam, tamen sit habitus aliqua saltem ex parte particeps, et quodãmodo grãmaticus aut musicus dici potest: ita continens ubi nõ multùm absit à perfectione temperati, uirtute præditus & esse & dici potest, & ipsa pariter continentia quodammodo uirtus adpellari: scilicet cum propius ad temperantiæ fines accesserit. Secundò continentiam existimarim aliquando, non solùm dispotionem esse, sed habitum, ac per consequens iure uirtutem adpellari. Nanq; sicut miles quum incipit arma tractare, nundum est miles, at ubi per menses aut annos aliquot armis adsueuerit adeô, ut habitũ pugnandi comparauerit: tûm uerè miles nuncupatur, quanuis nundum subegerit inimicum, & euicerit: ita nimirum qui contra tumultus effrenes irascibilis facultatis, potentiam rationalem exercet, ab initio statim continens dici nequit: at ubi uenerit eô perfectionis lõgo certamine, ut extemplò singulis penè momentis, ad ineũdum cum cæteris facultatibus

præ-

prælium ratio propensa sit adeô, ut ferè semper, & non multo negotio potentias easdem pessundet, atq; suo subdat imperio: quanuis adhuc se tueantur, & cum ratione continuò certent: quia tamen utplurimùm dimicando succumbunt, & ratio plerunq; triũphat, quæ prius subigi consueuerat, meritò habitus hoc casu continentia, uideatur, non autem pura dispositio, quòd uel ex eius diffinitione colligi potest: siquidem habitus est inueterata dispositio, siue (quod Philosophus ait) qualitas de difficili mobilis, unde Seuerinus Boëtius, hunc locum exponens ait: qui semel aut bis adulterium cõmittit, hic propterea non est adulter: at ubi longa adulterandi consuetudine repetitis, pluries dispositionibus habitũ contraxerit: scilicet per quem facilè in illud idem uitium erumpat; sanè tûm adulter dici potest, eodem iure si quispiam aliquotiens ratione suffragante suppetiasq; ferente, cum sensibus irascibiliq; potentia: quippe quæ sæpenumerò limites rationis egreditur, longiusúe quàm ratio permittat expaciatur: si quis inquã innixus rationi, cũ inferioribus potentijs aliquotiens uel strenuè certamen ineat, continens propterea dici nequit, quia solùm dispositus est, ac de facili potest inde diuelli, & ab opere cœpto reuocari: adeô qui cũ sensibus nuper, sed tamẽ leuissimè dimicauit, is pari facilitate posthac iisdem fauebit sensibus, & contra rationem pugnam adgredietur. At ubi mens cum facultatibus sibi secundum naturam subiectis,

iectis, non ter aut quater tantùm sed (exempli gratia) centies manum conseruerit: sanè tûm rationi callus (ut sic dixerim) obducitur, et habitum, ut pote naturæ uicarium induit, per quem ad pugnam cum sensibus & propensa est; & ut plurimùm faciliusq; uincit: adeò tunc etiã si facultates inferiores contra mentem atq; rationem, adhuc tantisper de uictoria cõtendant, ratio tamen, ut quæ iam habitum adquisiuerit uincendi, semper ferè palmam consequitur. Quam ob rem optimo iure continẽtia uideatur habitus dici posse, & per consequens non solùm ad uirtutem uia, sed ipsamet uirtus fuerit.

DVBITATIO CONTRA SVPErius in medium adducta diluitur. Cap. VI.

ATQVI statim obijcies, uirtutem (quemadmodum ex Ethicis colligitur) habitum esse quidem: non tamen simpliciter, sed cum hac adpendice uidelicet, habitum electiuum in mediocritate consistentem. Proinde ut admittam (inquies) dici ueram continentiam habitum, nihilominus eandem haud protinus habitum electiuum in mediocritate consistentem esse, minimè concedendum est, siste gradum tantisper, Electio præcipuè primo q; gratia finis est, secundariò pertinet etiam ad ea, quæ sunt ad finem: hinc temperantia propter se prius eligi-

tur,

tur, continentia uerò posterius, uelut in ipsam temperantiam ordinata, tanquam in finem per se proprieq; eligibilem. nec absurdum est, unam uirtutem in aliam ordinari tanquam in perfectiorem ac finẽ, quando fortitudinem quoq; simul ac iusticiam, in temperantiam eandem dirrigi (quippe quæ uirtutum omnium exacta quædam complexio est atq; temperamentum) nullum prorsus est inconueniens. erit igitur habitus electiuus continentia, at non in mediocritate consistens, inquies: quid ais? quanquam irascibilis in continente concupiscibilisúe facultatis adfectus, adhuc nundum attigerunt mediocritatem, in qua scilicet uirtus consistit: tamen in continente, qui iam habitũ adquisiuit (ut supra dictum est) qui solus uerè continens est, ab ea parũ distant: atq; hæc cõtinẽtia uirtus est, sensibus quãlibet adhuc aduersantibus rationi, plerunq; tamẽ succũbentibus: Et si irascibilis inquã in uero continẽte cõcupiscibilisúe facultatis adfectus, mediocritatem nundum adsequuti sunt (quod necessariò uirtus exigit, idúe iure quodã suo uelut hereditario) tamẽ ipsa rationalis potẽtia, mediocritatẽ longo certamine cũ inferioribus animæ partibus adquisitã (licet nõ exactè) summisúe laboribus comparatã, possidet adeô, ut quãuis adhuc habeat lites atq; dissidia cũ sensibus cæterisúe cõcupiscentijs: perpetuò tamẽ, aut saltẽ ferè semper uincat. Accedit, quòd in continente uero concupiscentia, sensus, & ira: ut quæ iandiu ferre iugũ adsueuerint, scilicet

ob con-

ob continuam penè rationis uictoriam : licet adhuc obstrepant ac pugnent utcunq; nihilominus (ut sic loquar) quasi despōdent animum, ac uiribus iam suis parum fidentes, ad mediocritatem si non sua sponte festinant, illuc saltem inuitæ truduntur ac impellun tur præsertim hoc casu, cum ab ea non admodum di stent. Cæterûm quum Aristoteles fingit temperantiam, in qua dominetur ratio, nimirū uult hanc eã dē inferioribus animæ facultatibus dominari adeô, ut ne latum unguem, (quod dici solet) reginæ se ipsas opponant pedissequæ, uerùm huic ancillentur et absq; murmuratione fideliter inseruiant : sanè pulcherrimum fuit inuentum ac planè dignum Aristotele; sed id ei contigit quod Marco Tullio: qui cùm in libris de oratore, tùm in eo qui Brutus, seu de claris oratoribus inscribitur, ideam oratoriæ facultatis delineasset undequaq; prorsus admirabilem, adumbrassetúe : tandem nusquam oratorem offendit, qui similem ideam examussim expresserit. Ad eundem planè modum Galenus, temperamētum hominis undiquaq; perfectum atq; numeris omnibus absolutum ob oculos cōstituit, quod fortassis alioquin nusquā offendi queat: adeô naturam hanc inferiorem utpote mancam atq, mutilā, et naturæ superioris ferè nudam imaginem, operari perpetuò quadantenus imperfectè contingit, tantū abest, ut intellectum eiusdē naturæ rudem imitatorem, perfecti quidq; præstare posse speres.

IN

IN HAC MORTALI VITA nusquam offendi posse temperantiam, in Ethicis inuectam atq; confictam ab Aristotele, declaratur. Cap. VII.

NVNC Aristoteli respondendum est: pulcherrimè quidē ille ritéq; pinxit tēperantiā, at num offendi queat in hac caduca fragiliq; uita; hoc opus, hic labor est ostēdere. Sanctus Hieronymus huic uni rei præcipuè (quēadmodum & alij diuino adflati spiritu) quū studuisset, atq; diligenter nauasset operam: non diuinis tantùm sermonibus ac Philosophiæ studio, simul ac orationibus, uerumetiā duris ieiunijs et solitudine: tandem ei uisum fuisse nō nunquā esse Romæ testatur, ī magno puellarū cætu, propterea scriptis ad uerbum prodidit, carnis continuam esse quidem pugnam, raram, uerò uictoriam. Adhæc Paulus quotiēs queritur de stimulo carnis apud Deum? datus (inquit) est mihi stimulus carnis, qui me colaphizet. is ubi modis omnibus laborasset, ut rationi spirituiq; carnem subigeret inquiens: castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, & quæ sequuntur: præ ingenti mærore tandem exclamans in hæc uerba prorupit: quis me liberabit à carcere mortis huius? at quid christianos commemorē ubiq; de pugna carnis cum ratione passim querenteis, uel ad extremum usq; spiritum? mihi profectò negotiū inter-

Interuenit cum Ethnicis Philosophis, christianos ubiq; sua Philosophia seducentibus, atq; uano sapientiæ prætextu cautè eosdem irretientibus: quibus adprimè (si fieri possit) hisce meis elucubrationibus (Christo domino fautore) prospectũ iri præ cæteris uelim, atq, consultũ esse, uel summis uotis exopto. si christianis hystorijs detrahant, sua proferãt exẽpla, suismet Ethnicorũ gestis eos iugulabo. si de quo magis uidetur inesse, et nõ inest, igitur & de quo minus; iuxta præceptiones Topicas: at magis uidetur, quòd Socrati, Platoni, Pythagoræ, atq; alijs id genus insederit isthæc temperantia, quæ tranquillam pacem, seclusa tãdem pugna sensuũ, homini condonat: neq; tamen cõstat, eos hac insigni uirtute fuisse præditos, ergo rationi consentaneũ est, alicubi neminẽ unquã extitisse, neq; rursus uspiam reperiri posse, qui talem tantamúe sortitus sit perfectionem. Plato pulcherrimè disseruit de moralibus uirtutibus, præcipuè de temperantia, sed tamen nullibi Socracrem suum: quem alioqui uelut omnium uirtutum exemplar ac semideum, nobis ob oculos constituit, undiquaq; temperãtem fuisse tradidit. laborasse quidem eum inquit, ut uita sapiens atq; perfectus euaderet; utq; cæteros præsertim adulescentes, quos instituebat erudiebatúe, idem edoceret. nõ inficior Platonem in Apologia Socratis, mortem eius referẽtem, eundem protulisse, dum ebiberet uenenum, æquissimo animo tulisse mortẽ atq; infracto; idúe subactis adamussim adfecti-

fectibus corporis adeò, ut ab adsidentibus, qui circũstabant discipulis, eundem de animæ immortalitate differentem contemplãtibus: antè quàm uenenum potaret, ne minimùm quidẽ pugnæ rationis, cum sensibus indicium deprehẽdi potuerit. Atqui Plotinus adsecla Platonis eximius, haud patitur exactam in hac uita temperantiam; qualem in Ethicis Aristoteles pinxit, quò fit, ut facilè suspicer immò penè certò sciam (quòd eius fuerit discipulus, adhæc maximè probus, ac uerè Philosophus) Platonem idcirco finxisse Socratem suum exactissima temperantia præditum, potius quàm crediderit: quandoquidẽ humanæ cõditionis limites id egrediatur, nec quisquam talis prorsus esse possit, ni deforis aduenìens diuinus spiritus (quod in christianis quibusdam morientibus uisum fuisse testantur hystoriæ) hominũ imbecillitati suppetias ferat. cõminiscuntur aliquot Philosophi felicitatem præterea quandam, Philosopho nedum christiano penitus indignam, sed missa faciamus exempla, quando Philosophus præcipuè Peripatheticus haud abscedat à sensatis: ratio certè dictat, haud posse dari æquale ad pondus in corporum temperamentis, sed æquale tantùm (ut aiunt) ad iustitiã. Id Auerroes, Auicenna, & Galenus, ex Aristotele colligentes, manifestò demonstrarũt: ita ut nullus amplius reliquatur cauillo locus: quorsũ hæc? si quolibet in homine necessariò uires elemẽtorũ sunt dispares, quũ æquale ad pondus (ut Physici

sici

ſici loquuntur) dari nequeat, qui obſecro reperias alicubi carnem ex partibus neceſſariò pugnantibus compactam, quæ rationi puriſſimæ ſuapte natura ſpirituiq; non reluctetur? id profectò ratio non patitur, & rationi ſubſcribit experientia. ſi tempeſtate Platonis unus adparuit Socrates, in quo nulla penitus deprehenſa fuerit uel minima rationis cum adfectibus corporeis pugna, ſi abſoluta numeris omnibus in eo uiſa eſt temperantia: ſi hoc uerum eſt, amabò cur in aliquibus, alijs tempeſtatibus non idem adparuit? nunquid non ijdem ſpecie homines hac ætate ſunt, qua aliàs eſſe ſolebant? ſancti uiri huic uni ſtudio ſemper addicti, conqueſti tamen ſunt, quòd ab hac pugna nunquam fuerint immunes, quandiu uixerunt, hanc quietem ſperarunt in alio ſæculo. non deſunt hac tempeſtate, neq; defuerunt elapſis annis, proximisùe temporum curriculis eximij Philoſophi, inter quos aliquot probi quoq; uiri, uirtutibus moralibus inſignes extiterunt: neq; tamen potuerunt ad hanc tàm felicem temperantiã pertingere. mitto quòd ſacra dicit ſcriptura: ſi dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, quandoquidem puri Philoſophi ſenſum unum inſequentes, ſacris eloquijs haud fidem adhibeant: quid ſenſui reſpondebimus? te tuo ipſo mucrone confodio: ſenſus tuus, uerè tuus inquam ſenſus, quoniam ei ſoli fidem præſtas, apertè teipſum oppugnat: ſenſus palàm declarat, nos horis penè ſingulis delinquere:

re:

re serrata sæpe uel ingentia contra bonos mores cõmittere, idq; tûm precipuè, quotiens euigilamus anxiè, quotiensúe sattagimus, ne pecudum instar ac belluarũ in uoluptates corporis, temperantiæ aduersarias prolabamur: neúe ritu suũ in putido cæno obuoluamur: porrò cũ id maximè studemus, scilicet ne similes in silices aut scopulos impingamus, tûm sæpenumerò uel supini (ut ita dicam) turpissimè concidimus, idúe in ipso senio; uidelicet ubi iam cum adfectibus corporeis per aliquot annos manum conseruerimus, huicq; potissimûm uni rei studuerimus, ut eosdem uni rationi subigeremus. Vbi nam est ô Aristoteles isthæc tua tam exacta temperantia, tanq; prouida, quæ dissidium omne facultatum inter se pugnãtiũ in anima prorsus è medio tollat? Quam ob rem ut ad institutum aliquando redeam, quum homo quiuis secundum naturam anxiè cupiat altricis, concupiscibilis, & irascibilis animæ partiũ adfectus, imperio rationis unius adamussim subijcere: nec id in hac uita mortali possimus adsequi, ac per consequens nec quiescere, quod alioquin uel in particulari quiuis maximè cupit: quumq; naturã incassum frustraúe moliri quidpiam impossibile sit, profectò demonstratione signi, per effectum proprium seu passionẽ propriã, apertè colligitur, ab hac uita mortali uitã aliã dari scilicet in qua rationalis animus minimè subijciatur inferioribus potentijs, quòd id esse contra naturã (& per consequẽs uiolentum) compositi pro-

priam

priam supra demonstratum sit, ergo iure uenit intellectus à corruptione uindicandus.

LOCVS DIFFICILIS IN PRAEdicamentis perpenditur. Cap. VIII.

OSTENSVRVS fortunam aut casum nusquam offendi posse, operæprecium uidetur locum in prædicamentis difficilem prius explicare, quòd id huic dubitationi soluendæ plurimum lucis adferat. Natura simul esse relatiua docet Aristoteles & res ipsa declarat, quoniam alterū ad alterius essentiam pertinet, porrò quòd Philosophus in prædicamēto relationis adseueret, id non esse perpetuò uerū, ut in scientia & scibili, dein sensu et sensibili: quòd cùm absq; scientia scibile, tùm absq; sensu, sensibile cousistere possit in rerum natura: quòd Philosophus inquam id enuntiet, in causa esse potest, quoniam cum eius institutum in prædicamentis planè fuerit, non docere res ipsas primariò, ac per se (quidquid nonnulli uoluerint alioquin eruditissimi magniq; nominis uiri) quin potius logicæ facultatis terminos uniuersales atq; simplices: nēpe genus speciem, differentiam, propriam, & accidens, scilicet per se ac primò, demum secūdariò res ipsas atq, per accidens: idcirco non secundum exactam ueritatis rerum in-

rum intelligentiam, quia de ueritate rerum hîc præcipuè nequaquàm agitur: sed iuxta uulgi famam tantùm, quòd id prima fronte statim esse uerum adpareat, enuntiauit haud esse simul naturâ relationes quasdam: nempè scientiam & scibile, dein sensum & sensibile, quòd alterum ab altero diuelli seiungiq; posse constet: idq; non acri perspicaciq; eruditorum iudicio, scilicet res ipsas, non autem rerum nomina, uel nomina nominum, hoc est, terminos logicos contemplantium: quanquã offendi nusquam scientia nequit absq; scibili, quẽadmodum nec sensus absq; sensili, tamen quia multa sunt adhuc in rerum natura, quæ mẽtis nostræ sensusúe captum effugiunt: ac per consequens nec sciuntur, nec sentiuntur, sed omninò nos latent, quùm alioquin scibilia sint atq; sensibilia: sequi uidetur mediusfidius, reperiri posse, & absq; scientia scibile, & sensibile sine sensu. Verumenimuerò medullitus inspicienti, diligentiusúe perpendenti singula, secus adparet: si quidẽ quidquid agnoscitur, id potentia cognoscitur uel actu (quancunq; cognitionem efferas sensilem aut intelligibilem, nil refert) porrò quotiens duo relatiua efferimus, secundũ eundem modum sint oportet, hoc est, sub eadem entis differentia: nanq; omne quod est, seu substantia, siue qualitas, aut quantitas, uel relatio, & sic de singulis generibus: necessariò actu est uel potentia, quemadmodum de cæteris entis differentijs, puta unum aut multa, per se uel per accidẽs. Quapropter si duo mu

tuam adinuicem debeāt habere relationem, ac ad aliquid & esse & dici, nequaquam oportet alterum potentia esse, alterum uerò actu: quando sic adinuicem referri nequeant, at utrunq; uel actu esse uel potentia, penitus est necessarium. Quare dum inquis: scibile potest esse sine scientia, & sensile sine sensu, hic mehercules uenit distinguendum: aut enim percipis scibile uel sensibile actu uel potentia: si sensibile uel scibile actu intelligis, dari quoq; (uelis, nolis) actu scientiam pariter ac sensum fateri cogeris: quia si res actu cùm sciri tùm sentiri debeat, necesse est, adsit actu sensus ipse, qui sua præsētia cognoscendo, faciat eam rem actu sensilem: adhæc intellectum actu comprehendentem, qui promat ac parturiat actu scientiam, et per consequens efficiat actuali sua intelligentia atq; scientia, ut scibile seu intelligibile potentia, reddatur iam actu scibile uel intelligibile. Sin autem accipias scibile potentia uel sensile, tûm dari quoq; necessum est potentia scibile uel sensibile. Adeô conuenit scibile & sensile actu, ad scientiam uel sensum actu referre: adhæc scibile uel sensibile potentia simi liter scibili uel sensibili potentia comparare: non autem scibile uel sensile potentia (quod Aristoteles uulgi sequutus opinionem hic factitat) scibili uel sensibili actu conferre; alioquin profectò nullam effeceris produxerisúe relationem: Ergo quæ ad aliquid dicuntur omnia, simul esse natura necessum est, ita ut posito altero, alterum quoq; poni sit necessarium,

atq; hoc primùm fuerit demonstrationis nostræ, quã teximus, basis & fundamẽtum. Secundum est, quòd causa & effectus, siue causatum, relatiua sunt adinuicem, & ad aliquid dicuntur. nam isthæc duo (ut uerbis utar Aristotelicis) hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur. Causa etenim causati (hoc est effectus) causa esse dicitur, & causatum pariter causæ causatum est: ni forsitan alio potius modo, relationis conuersionẽ adsignare lubet: ut causatum nõ causæ, sed causa causatum esse dicatur, quomodo dicimus alam alati alam esse, sed (quod Aristoteles admonet) in conuersione non adsignamus eundem casum: quandoquidem haud enuntiemus, alatum alæ alatum esse, quin potius alatum, ala alatum esse tunc efferimus: at quum isthæc instituto nostro parum deseruiant, uel de industria silentio prætereunda sunt, ad diuerticulum redeo. Si actu ponatur causa, actu quoq; causatum sit oportet: Sin potentia causam adsignaueris, illicò potentia causatum etiam necessariò posueris, ac retro pariter relatio commeat, atq; conuertitur: posito nanq; potentia causato, causa statim potentia subintelligitur: positò actu causato, mox actu causa ponatur, oportet. Rursus utroq; horum accepto actu, uel utrisq; potentia (secus enim haud forent relatiua) sublato altero, alterum auferri statim necesse est: ablata enim causa perit causatum, et sublato causato tollitur è medio causa.

NIHIL ESSE A FORTVNA uel à casu conuincitur.

Cap. IX.

QVAPROPTER ex superioribus duo colligimus, primùm omnia relatiua esse simul natura: secundum est, quòd causa & causatū siue effectus (quod idem est) relatiua sunt. hisce suppositis uelut fundamentis, argumentor hūc in modum: quæ à casu proficisci dicuntur, effectus sunt & causata, sequitur ergo, quòd à causa pendeant. respondent Peripathetici, quæ à casu uel à fortuna dicuntur, à causa quidem aliqua pendere, sed tamen indeterminata, quum interim naturalia adfirment à determinata causa ortum habere. Verùm omne causatum simpliciter, uirtute cōtineri debet in sua causa, ergo siue naturales, siue artificiales, seu casuales fuerint effectus, nequaquā promiscuè uel indiscriminatim originē ducere possunt à causa qualibet: sed ab ea tantùm, quæ cū eo causato similitudinē seu proportionem quandam sortita sit: ac sic causatum in causa uirtute propria, scilicet causæ continetur, atq; hæc ratio militat in omnibus causatis: quod si uerum est (ut profectò uerum esse naturalis ratio dictat) omnino consequitur, effectum quenlibet à certa determinataq; pendere causa, quapropter à casu uel à fortuna nihil profectò fuerit. quòd autem Philosophus in Physicis auscultationibus de casu pa

riter

riter ac fortuna differat, adseuerans similes causas, esse causas per accidens & indeterminatas: idq; me diusfidius intelligit non simpliciter, sed ratione nostri. nam quotiens in natura producitur aliquis effectus, qui præter id, quòd rarissimè sub cognitionem nostram cadit, eius insuper causa non modò nos latet, quin etiam talis est, ut nemini mortalium innotescere queat: tùm à casu esse dicitur uel à fortuna, exempli gratia: quòd pertranseunte quopiam sub tecto, tegula decidat, & caput transeuntis feriat: id à causa per accidens & indeterminata prodijsse dicitur (quæ fortuna uel casus adpellatur) cum alioquin huiusce causati determinata subsit causa, eaq; (quod dici solet) per se. quanuis eius naturæ sit atq; condictionis, ut non solùm effugiat captum nostrum, quin etiã nobis cognitu sit impossibilis: si quidẽ imaginari fortassis atq; conijcere liceat, à uento quopiã, aut animali per tectum repente, uel ab alio quouis efficiente simili, depulsam è tecti sede propria tegulam, in caput uulnerati cecidisse: uerùm cur hoc momento temporis potissimùm depulsa tegula fuerit; præterea cur ille momento eodem, sub tecto deprehendatur, ac tegulá precisè in caput suum impingat: effectus huiusce causam particularem, mortaliũ ariolari nemo possit, quanlibet solers ac perspicaci præditus ingenio, nedum certò cognoscere, quanquã in uniuersali certò cognoscit, eius effecti causam subesse particularem atq; determinatam effectricẽ.

quò fit, ut à casu uel à fortuna, hoc est, ab indetermi nata causa, & per accidens prouenire similes effe-ctus existimentur. Porrò si quis arcana naturæ medullitus intueatur, similes effectus determinatam ac per se causam nancisci comperiet, quanuis minimè nobis (ut ita dixerim) cognoscibilem. Hinc magnus Galenus libro. 4. de decretis Hippocratis atq; Platonis, ita scriptum reliquit: De te igitur quærimus quæ causa ipsum creat, & fabricatur? nos quidē modò irascibilem uim; modò concupiscibilem eam esse dicimus. Tu neq; has fateri, neque rationalē audes adfirmare, sed temerè fieri, dicis atq; ita absolutū te à quæstione arbitraris: quasi nescias, quic quid temerè et à casu fieri dicitur, id quô ad cognitionē nostrā, non quô ad ueritatē ita adpellari consueuisse, quēadmodum diuinus Hippocrates testatur. Nobis quidē (inquit) fortuitum est, sed causæ ipsi minimè est fortuitum. præterea colligitur idē millies ex sacris litteris, at quia nobis cū Ethnicis aut christianis parū fidelibus negotiū intercedit, isthæc propterea consultò prætermissimus, ne forsitan (quòd planè ueremur) instituto nostro, laboriq; suscepto magis officiant, quàm prosint. illud hîc adnotasse tātùm sufficiat, quòd quæ in rebus humanis experientia palàm esse deprehenditur prouidentia, protinus omnem fortunæ, casusúe suspicionem eliminat.

NIHIL

NIHIL VSPIAM OFFENDI, quòd omni ex parte præter naturam, aut contra naturam esse queat. Cap. X.

ERGO nihil à casu fortunaq; proficisci, satis (ut opinor) superq; probauimus, consequens est, ut nil quoq; præter naturam euenire simpliciter, seu contra naturam, pro uirili nostra tueamur: quod certè nequaquã hic difficile fuerit, quãdoquidem ex adductis supraûe conclusis, paruo negotio deduci queat. nanq; si quicquid fit, absolutè simpliciterûe (quod supra satis probatum est) à causa per se determinataq; prodit, necessariò sequitur; nihil præter naturam contingere: probatur illatio, quia quidquid ab alia causa pendet, quæ non sit ars, neq; natura, id à causa perse proficisci nequit: si quidem quòd perse est ac determinatum est, artifitiale uel nãturale sit oportet, quod nimirum determinare quidpiam ad speciem pertineat, uel ad hominis intellectum: quippequi naturalis cum sit species, dum operatur, atq; naturas corporum naturalium imitatur, simile quid corporibus effingit, ac naturæ corporum quodammodo uices gerit, quæcunq; igitur causa (si semel artem atq; naturam excluseris) adsignetur, eadẽ utiq; causa fuerit indeterminata & per accidens. At quî tueri poteris (inquies) monstra pendere à causa determinata, nec esse præter naturam?

si meministi eorum, quæ supra retulimus, quando rationi sensum dominari & præter naturã esse: præterea quodammodo secundum naturam euenire mõstrauimus, huius obiecti solutionem quantumuis difficilem expiscari liceat. monstra fiunt (ut ex Aristotele colligitur in libris de generatione animalium) quoniam impeditur natura, quò minus exequatur, quod intendit, exempli gratia: sit sanguis menstruus in matrice iusto siccior aut crassior: adhæc multus, adeô ut commodè regi nequeat à facultate generatrice: tûm ea uis scilicet formatrix ut pote ualida satis, opus adgreditur strenuè, tentatúe fætum formare: rebellis porrò materia reluctatur interim efficienti naturali: quò fit, ut in mutuo, quòd utrinq; committitur prælio, quod superat ac uincit, alterum uelut inimicum sternat: si uis generatrix tandem superior euadat, sed tamen id fiat magna cum difficultate, formabitur quidem embrio, sed debilis: ac sic nascetur fetus quidem, sed corpus erit insalubre simpliciter, semper (ut Galeni uerbis utar) uel ut multũ, aut saltem ut nunc: sin autem menstrui sanguinis malæ qualitates, aut seminis uirilis uitium aliquod, uirtutem gignitricem tantisper è sua sede dimouerint turbauerintq;, aut prorsus euicerint: sanè tûm mõstra uel molæ nascẽtur, aut simile quiddã brutis animantibus, idúe pro qualitate uincentis aut uicti: quorum imbecillitas aut robur, haud exiguam latitudinẽ sortiri potest. cæterûm quãquam præter naturã est homini,

mini, simul ac cæteris animantibus ac stirpibus, mõstra gignere: tamen (quod supra mõstrauimus, quũ de pugna rationis cũ sensibus ageremus) idẽ qualitatibus illis in materia secũda (uidelicet mẽstruo sãguine uel plantarũ semine) peregrinãtibus, naturale fuerit, scilicet contra cõpositi propriã illius naturam ac speciem operari: siquidem supra monstratum est, elementorum speciem compositis seu mixtis omnibus communem, aduersari (si plus iusto excesserint) mixtorum naturis siue speciebus. nec refert hoc loco qualitatésne proprias elementorum, formas existimes, an arbitreris easdem mera esse accidentia, & elementorum species esse nobis incognitas: id inquam hoc loco saltem nihil refert, præsertim quum ij, qui qualitates à formis elementorũ discrepare plus quã disdiapason (quod aiunt) ab eorum qualitatibus putant: ijdem species easdem (ut Auerroes) elementorum haud esse puras, sed inter accidentia substantiasúe mediam sortiri naturam autumant: & ob id easdem, hoc habere cum accidentibus cõmune, quòd intendantur atq; remittãtur: præterea quòd ad inuicem inter se perpetuò pugnent. Hinc corrolarium inferre liceat, hoc est, naturam haud hallucinari, nec unquam errare, quanuis errata committere nobis uideatur: scilicet quotiens pugnantibus naturis elementorum communibus, cum proprijs mixtorum formis, una lædit aliam, & sibi ipsis mutuò certantes negotium facessunt, dum altera uellicat atq; lacessit alteram.

teram. Adeo natura consunto materiam dimensione protendit, scilicet ut repugnaturas inter se formas hospicijs diuersis exciperet.

OBIECTVM E MEDIO TOLLITVR. Cap. XI.

AT inquies: monstra quippe quæ nullius finis gratia facta sunt, haud esse possunt à natura, nec ab arte, quando constet isthæc utraq; propter finem operari: sequitur igitur eadem à casu proficisci. Respondemus naturam communem atq; particularibus naturis inferioribus imperatẽ, data opera permittere: ut ex infernarũ particularibus naturarum dissidijs, inter se qualitatibus mutuò pugnantium, dum una certatim alterius motum intercipit & impedit: ut inquam ex lite simili monstra pullulent, idúe non casu, non temerè, sed ad hunc unum finem: ut inferioris naturæ dignoscatur imbecillitas, & superiorum formarum interea uis atq; potestas emicet, quippe quæ nullo penitus errori sint obnoxiæ, quemadmodum nec labori. Ita sanè Deus Opti. Max. scelera singulorum hominum quanlibet atrocia, tolerat atq; permittit, æquoúe (ut ita dixerim) animo ferre consueuit: non quia nostri (quod quidam falso putarũt) curã atq; prouidentiam haud habeat: sed ut agnita nobis imbecillitate nostra pluries, ac uelut examussim perspecta,

specta, robur mentis nostræ quotiens eô temperantiæ uenit quispiam, ut mala desyderia sensusúe subigat atq; pessundet: ut robur inquã eo casu mentis nostræ, non uiribus nostris (quod plures iniustè Philosophi fecerũt) adscribamus, sed id summo rerũ opifici referamus acceptum, Vnde pulcherrimũ eli cere corrolariũ liceat: nẽpe superiores intellectus mẽtesúe (quẽadmodum & cœlestia corpora) quarũ inferiora corpora tantùm imagines sunt atq; simulacra, cùm operando tùm contemplando nunquã hallucinari: quũ intreim humanus intellectus, cùm in actionibus, tùm ĩ discursibus sæpenumerò uacillet atq; turpiter cæcutiat. Cæterûm Aristoteles scriptum reliquit ea præter naturam esse, quæ rarò eueniunt, ut monstra: nõ quòd re uera præter naturã et à fortuna sint uel à casu, quũ omnia (quod probatũ est) à causa determinata proficiscãtur, in qua prius uirtute continebantur, quàm in lucem prodirent, ac omnia quæ fiũt, per consequens à natura fiant: sed quæ rarò eueniunt, præter naturã contingere creduntur, quoniam accidunt præter intentionem atq; finem naturæ, hoc est formæ compositi illius, quanuis id à natura superiori nobis incognita pendeat: adeô quicquid rarenter fit, à casu & præter naturam contingere dicitur, non simpliciter & secundũ rei ueritatem, quin potius ratione nostri: quòd eius effecti determinata causa, nobis non modò difficilis sit, nerumetiam penitus mentis nostræ captum excedat,

cedat,

cedat & præter naturam sit illius compositi, in quo talis effectus pullulat.

MORBOS HAVD ESSE PENITVS præter naturam. Cap. XII.

INDE secundum corrolarium inferre liceat, nempe morbos haud esse penitus præter naturam, si physicè loquamur. Galenus ait morbos omneis esse præter naturã, & oĩa pariter eorum symptomata, quod hoc pacto uenit intelligendum: scilicet eos esse præter naturam, non simpliciter, sed præter naturam & contra naturam eius compositi, uidelicet eius animalis, cuius est morbus, quia destruit suũ subiectum, ac per consequens suam essentiam: sed tamen hic idem adfectus, qui morbus est homini, uerbi gratia, quia lædit eius operationes immediatè: idem inquam adfectus, humoribus aut qualitatibus illis eundem producentibus, utiq; naturalis fuerit. si dixeris calorem febrilem esse præter naturam, sanè fatebor eundem esse præter naturam homini, quem lædit, ãtq; corrumpit: nihilominus si nõ referatur ad ægrum, sed absolutè consyderetur, omnino fateberis eum esse naturalem: haud secus ac ignis exurens lignũ aut animal, ligno uel animali collata dubio procul & præter naturam sunt, & contra naturam: scilicet animalis & ligni, quod nimi-

nimirum naturas eorum corrumpăt, nemo tamen eô dementiæ ueniet interea, ut ignem absolutè consyderatum, naturalem esse neget: neq; corruptio uel putredo præter naturam fuerint, scilicet communem, quăuis sint præter naturam eius corporis, quod putrescit atq; corrumpitur. Adeô constat ex superioribus, nihil absolutè simpliciterq; physicè loquendo, dici posse præter naturam, quemadmodum nec à fortuna uel à casu.

ALIVD OBIECTVM DILVITVR. Cap. XIII.

AT inquies forsităn: haud uidetur hoc tuum argumentum concludere (ut reuertamur, tandem unde digressi fueramus) si quidem diximus animă rationalĕ: quippe quæ frustra nihil agit, cupere se liberari quidem à iugo sensuũ cum ea dimicantium, at quum hæc libertas haud possit contingere, quandiu fuerit adnexa corpori: colligimus hinc, absq; corpore futură eandĕ aliquando, & per consequens immortalem animam euadere. Tu uerò forsitan respondebis, animam rationalem posse mortem naturalem, idúe secundum naturam adpetere, quemadmodum & cætera mixta cùm sensibilia, tùm insensibilia: quæ licet adpetitu naturali illo seruari cupiant, hoc tamen ad tempus adpetunt, non inper-

in perpetuum, alioquin adpetitus ille foret temerarius & frustra, & per consequens præter naturã: ita fortassis fieri possit (inquies) ut anima rationalis, uitam non semper, sed ad tempus adpetat: & à iugo sensuum liberari per mortem naturalem, quã secundum naturam cupit, quemadmodum & omnium species corporũ corruptibilium. At quid ais? ut admittamus (quod certè rationi consentaneum est) species uidelicet omneis corporum corruptibilium, adfectare corruptionem: non ipsis uiolẽtam, sed naturalẽ, id est, statuto tẽpore præscriptã à natura communi: puta in animalibus consumpto sensim atq; paulatim humido toto (quod aiunt) substãtificò: sicut isthæc inquam secundum eandem naturam, ad illud usq; tempus tantùm seruari cupiunt, ita certò scimus rationalem animam desyderare uitam perpetuam, non temporalem, atq; hoc unumquẽq; uel in seipso semper experiri, non dubitamus.

QVAE IN FAVOREM AVERrois adduci solent argumenta, quibus unum in omnibus hominibus intellectum esse, docetur. Cap. XIIII.

NVLLA substantia immaterialis multiplicatur secũdum numerum in una specie: anima est huiusmodi, ergo &c.

SI ad multiplicationem corporum multiplicarentur animæ, consequens uideretur, quòd remotis corporibus, multitudo animarum non remaneret, sed aliquid unum, quia remota causa &c.

SI intellectus differrent numero, essent particularia: tunc omne quod recipit in aliquo, est in eo per modum recipiẽtis: ergo species rerum in intellectu reciperentur indiuidualiter, quod est contra rationem intellectus, qui recipit uniuersaliter.

SI intellectus est alius & alius, ita etiam intellectum erit aliud & aliud, quia intellectum est in intellectu intelligente: & ita erit indiuidualiter numeratum, & ideo intellectum in potentia tantùm: unde rursus oportebit abstrahere intentionem cõmunem tam ab hoc, quàm ab illo, quia à quibuslibet diuersis contingit abstrahere aliquòd commune intelligibile: sed sic intellectus nõ uideretur distingui à uirtute imaginatrice.

QVVM scientiam accipit discipulus à magistro, non est dicendum, quòd scientia generet scientiam, quia sic esset forma actiua: ergo uidetur, quod eadem numero scientia magistri communicetur discipulo, quod esse non potest, nisi sit unus intellectus utriusq;, & sic de alijs, ergo &c.

RE-

RESPONSIO SANCTI THOMAE prima parte Summæ Quæst. 76. Articulo. 2. Cap. XV.

AD primũ dicitur, quòd licet anima nõ habeat materiam, ex qua sit, est tamen forma alicuius materiæ: & ideo secundum diuisionẽ materiæ, sunt multæ animæ eiusdem speciei.

Ad secundum dicitur, quòd unumquodq; habet hoc modo unitatẽ, quo habet esse, & per consequens idem est iudicium de multiplicatione rei, & de esse ipsius: quum autem anima intellectualis secundum suũ esse uniatur corpori ut forma, & tamẽ destructo corpore remanet ipsa in suo esse: ita multitudo animarum est secũdum multitudinem corporum: & tamen destructis corporibus remanent animæ in sua multiplicitate, & sic multiplicitas corporum non est uerè causa, sed potius occasionalis ipsarum multitudinis animarum.

Ad tertium dicitur, quòd causa non intelligendi uniuersaliter, non est indiuiduatio intelligentis, aut speciei per quam intelligit, sed materialitas. si igitur species abstracta sit à cõditionibus materiæ indiuidualis, erit similitudo naturæ absq; his, quæ ipsam distinguunt & multiplicant: & ita cognoscetur uniuersale; aliâs argumentũ procederet, siue esset unus intellectus, siue plures: quia etiam si esset unus, oporteret ipsum esse aliquem

quem quendam, & speciem aliam quandam.

Ad quartum dicitur, quòd siue intellectus sit unus, siue plures: id quod intelligitur, est unum, quia non est in intellectu secundum se, sed secundum suam similitudinem: & tamen ipsum est, quod intelligitur, non similitudo: alioquin scientia non esset de rebus, sed de speciebus: non est autem inconueniens, quòd eidem rei diuersa secundum diuersas formas adsimilentur: & quũ cognitio sit secundũ adsimilationẽ cognoscentis ad rẽ cognitã: sequitur, quòd idem à diuersis cognosci cõtingat, quod etiã patet in sensu, nam plures uident eundem colorem secundum diuersas similitudines: nisi quod sensus cognoscit rem secundum illam dispositionem, quã habet extra animam, in sua particularitate: natura autem rei, quæ intelligitur, est quidem extra animam, sed non habet illum modum essendi extra animam, secundum quem intelligitur: intelligitur enim natura communis sine principijs indiuiduantibus.

Ad ultimum dicitur, quod doctor non càusat scientiam in discipulo per modum agentis naturalis, ut uult argumentum: unde non oportet, quòd scientia sit qualitas actiua, sed magister est principium extrinsecum directiuum, & coadiuuans ipsum principium naturale intrinsecum, id est, ipsa principia uniuersalia, quæ possidemus per lumen intellectus agentis: siuè per ipsum intel-

lectum agentem, qui naturaliter inest unicuiq;, sicut medicus sanat adiuuando ipsam naturam, prebendo uidelicet exteriora remedia.

PRIMA RATIO EORVM QVI *partes Alexandri tuentur, & humanum intellectum fatiscere putant, conuellitur. Cap. XVI.*

IN Primis aduersarij mentem humanam probant esse corruptibilem hunc in modum: AEternæ mentes haud possũt obnoxia corruptioni corpora semoto cœlo, hoc est, proximè atq; immediatè producere, nec mouere, neq; rursus ab eisdẽ moueri: propterea quòd æterna mens, si proxima foret compositorum corruptibilium immediatáq; causa, dubio procul esset imperfecta, quod abundè tertio cœli Philosophus indicauit, inquiens caducas causas esse ctorum esse caducorũ, æternas autem æternorum: adeô præter rationem esse uideatur, humanum intellectũ (si semel æterna substantia statuatur) corruptibiles mouere substantias, aut à corruptibilibus moueri perficiúe phantasmatibus: quandoquidem æternis multò màiorem imperfectionem tribueremus, si materias corruptibilium eadem faceremus. quî enim obsecro (inquiunt) intellectum passiuum (si perennis immortalisúe substantia supponatur) à phan-

à phantaſmatibus utpote corruptibilibus (licet non proximè & abſq; rei alterius interuentu) perfici dixeris? Itaq; ſiue fatearis humanum intellectũ, efficientẽ eſſe corporis humani cauſam, ſeu partem intellectus humani materialẽ, hoc eſt, recipientẽ, quæ paſſiuus intellectus nominatur: à ſpeciebus intelligibilibus perfici, quas proximè unus intellectus agens è phantaſmatibus elicit; mehercules horum utrunq; nequaquam leue fuerit erratum. Porrò longius hîc digredi pauliſper lubet, quò facilius adductæ rationis falſitas detegatur. Iſtud ratiociniũ duo ſupponit, primò nos uelle mentem humanã corpus hominis immediatè cõſtituere: ſecũdò paſſiuũ intellectum à ſpeciebus intelligibilibus, ac per conſequens (licet non immediate) à phantaſmatibus perfici, quod aduerſarij magnum inconueniens eſſe ducunt. ſanè primũ ſuppoſitum, nempe mentem humanam proximè corpus humanum conſtituere, nequaquam uerum eſſe deprehenditur, ſi uidelicet abſolutè atq; ſimpliciter efferatur. etenim quẽadmodum intelligentiæ ſuperiores, quæ nullam cum primo ſubiecto (quod materia prima dicitur) ſocietatem habẽt: proximè nequaquam & immediatè corpora ſimul adgregant corruptibilia, ſed id quidquid eſt muneris, interuentu cœli peragitur: quod quidem cœlum quanquam eſt incorruptibile, quia tamen corpus eſt, et accidentiũ cõmunium, quæ corruptibilibus inſunt corporibus, omnino particeps eſſe dignoſcitur: idcirco motu ſuo

perenni sphæram ignis proximè sibi subiectam circunducit: unde cum ille motus haud sit ita naturalis igni sicut cœlo, fieri nequit, ut ignis dum ab extrinseco circumagitur, undiquaq; se ipsum intra suos fines, scilicet quos ei communis natura præscripsit, contineat: propterea uarijs in locis è propria sphæra uelut expulsus atq; detrusus, in alienas sedes erumpit, atq; quodammodo grassatur: idem porrò molitur aer, qui cum ab igne sibi uicino proximè, circunducatur (quanquam haud pari facilitate) terminos duplici ex parte suæ ditionis egreditur: quandoquidem ipse pari ratione (quod de igne dictũ est) pellatur atq; trudatur, idem omnino de cæteris quæ subsunt elementis, intelligi uelim. nanq; licet aquã minimè circulari motu uoluatur adamussim, propterea quòd à cœlo nimis distet, tamen fluxus maris atq; refluxus, aquæ sphæram haud penitus orbatã esse motu circulari, palàm declarat: adeò maria, quãquam aliquando fluere non uidentur, nihilosecius in eisdem aqua nutare tremereq; manifestò conspicitur: quasi (ut ita loquar) dubia sit, in quam partem fluere debeat, ac sic uelut anceps titubet atq; uacillet. aquam porrò pomœria suæ ditionis egredi, uel ipse sensus testatur, quando sub terra, per sinus profundissimos quasi centrum mundi petitura feratur: demum in superiori parte, crebris mutationibus in uapores conuersa, in sublimem aeris locum euolet: ubi rursus naturæ pristinæ frigoris beneficio, quod

mediam

mediã aeris regionem occupat, restituitur: dein facta grauis in partem ruit inferiorem, sicue (quod est naturale est) quum prius tantisper esset peregrinata, rursus ad lares proprios commeat, atq; redit. cæterûm terra utpote plurimùm à cœlo remota, ne uestigium quidem circularis motus retinet, sed tantùm admittit superiorum elementorum (quo uiscera terræ permeant ac perquirunt, atq; uelut aduenæ regiones alienas lustrãt) ingressum. Accedit, quòd terræ forma seu species, omnium corporum imperfectissima cum sit, ac per consequens primo communi subiecto corporum generabilium atq; corruptibilium similima: propter suam imbecillitatem, materiæ primæ nequit examussim quantitates terminare. proinde nil mirum, si terræ sphæra, rotundam quidem figuram obtinet, sed tamen malè rotundam, quod uallium profunditates, adhæc collium atq; montiũ uelut totius terræ tubera quædam: uniuersa deniq; totius terræ pars habitabilis declarat, quæ nimirum extra cancellos imperij sui fertur, & quasi longius quàm naturæ suæ conueniat, expaciatur: adeô propter uniuersale bonum; nempe mundi totius ornatum, longè præstitit imperfectissimam fuisse terram, quàm perfectam: quia si paulò perfectiorem sortita fuisset speciem, figuram quoq; rotundiorem consequeretur: unde si non totus, saltem ferè totus contegeretur aquis terræ globus. Quam ob rem hac imperfectione terræ, communis natura

suum authorem imitata, cuius ipsa simulacrum est & idolum: authorem inquam suum imitata commu nis natura, hac imperfectione terræ præparat animātibus omnibus sedem atq; domicilium: adeô quod beatus Augustinus toties inculcat, nempe solum Deum nouisse ex malis bona facere, & ex imperfectis perfecta, nequaquam uerum esse penitus agnoscatur: quandoquidem inferior isthæc natura, superioris naturæ, hoc est, summi rerum opificis uicaria, sæpenumerò tentat illud idem, & felicissimè consequitur. Redeo ad id, unde nostra prius fluxerat oratio: diximus duo primæ rationis aduersariorum esse supposita, quorum primum erat: æternas mentes effecta corruptibilia, scilicet immediate nequaquam posse producere: alterum erat, à corruptibilibus minimè cùm substātijs tùm accidētibus, perfici posse substantias incorruptibiles. porrò nos hactenus ut primum suppositum demoliremur, digressi sumus, cuius digressionis summa sic habet: Cœlum substantiam æternam esse Philosophus adseuerat, & hoc idem (eodē adsertore) mouet elemēta sibi proxima, idq; nullius rei alterius interuentu, puta ignem: ergo pugnantia secumúe dissidentia scriptis, prodidisse uideatur Aristoteles. nanq; quod unâ misceantur elementa, huius effecti proxima causa cœlum ipsum fuerit, cum alioquin hoc effectum corruptibile sit: ergo falsum esse uideatur, quod æternarum causarum æterna quoq; sint effecta. huic obie-

cto respondent interpretes, uidelicet elementorum mixtionem in particularibus quālibet generabilem atq; caducam: in specie nihilosecius æternam ostēdi, quod sanè de particularibus quibuslibet effectis à natura pendentibus pariter adfirmare liceat: Atqui non eminus hic conferendæ sunt manus, sed cominus pugnandum est, atq; penitius fortassis ac illi fecerint, adeūda sunt sacratiora naturæ ueluti quædā delubra. equidē crediderim æternas substātias, effecta proximè producere posse corruptibilia, non solū: in specie uerumetiā in indiuiduo, idūe non tantū ausim adfirmare de corporibus æternis (scilicet iuxta Philosophi mentem) quinetiam de intelligentijs à materia separatis. Sol.n.& homo generāt hominē, non in uniuersali tātùm, sed in particulari determinatum hunc hominē et corruptibilē, puta Socratem aut Platonem. nec profuerit quidquā ea fuga uidelicet, quod in generatione particularis hominis, non tanquam particularis, sed uelut uniuersalis tantùm causa Sol concurrat: quia tam uniuersalis causa quā particularis, ad indiuidui generationem immediatè concurrit, quod uel hoc exemplo satis ostenditur: electrum paleas trahit, magnes ferrum, bilem rhabarbarum, haud secus ac pituitam agaricus, quemadmodum & alia id genus multa. porrò similium effectuum (quod aliâs disputauimus) duæ perhibentur esse causæ effectrices: nēpe calor, quippe qui fuerit attractionis efficiens uniuersale: alterum efficiens

utpote particulare, creditur esse rei similitudo. unde quotiens particulare deficit efficiens, nempe substantiæ similitudo, & solius efficientis uniuersalis copia datur: sanè tûm non hoc aut illud in specie, sed indiscriminatim corpus attrahitur quodlibet, modò sua crassitie, trahentis uim atq; potentiam haud retundat et impediat. proinde si efficienti uniuersali effectrix causa particularis accesserit (quæ semoto uniuersali tantisper efficiente, parturire quidpiam effatu dignum, solis uidelicet naturæ suæ uiribus haud potest) sanè tûm promiscuè nequaquam hoc aut illud & indiscriminatim, sed determinata, trahentiq; corpori seu qualitati, simillima quoq; trahitur substantia. At quorsum hæc? quanquam alterum attractionis horum efficientium uniuersale dignoscitur, alterum uerò particulare: utrunq; tamen efficiens, huius effecti proximam immediatamúe causam esse, nemo prudens ibit inficias. Itaq; Sol, & hominem generat, & hunc hominem, idúe (licet uelut uniuersalis tantùm causa concurrat) tanquam huius effecti proximum & immediatum efficiens: alioquin haud dixisset Philosophus, hominē à Sole produci, quandoquidem à causis remotis effecta prodire, simpliciter efferre non liceat. At de corporibus æternis, quòd effecta producere consueuerint corruptibilia, nō in specie tantùm, sed & in particulari: ac per consequens indiuidua generationi atq; corruptioni obnoxia, satis mea quidem sententia demonstrauimus

strauimus, nunc tempestiuum uidetur, ut idem intelligentijs à materia separatis usuuenire probemus. Qui Alexandrum insequntur Aphrodiseum aiunt intellectũ agentẽ, utpote immortalẽ aiunt inquam agentẽ intellectũ, ab intellectu possibili substãtia penitus diuersum, scilicet iuxta sententiã eorũ: eidem intellectui possibili, uirtutem instar luminis indere: qua quidẽ uirtute species intelligibiles, & recipere queat & iudicare, quibus suppositis argumẽtor hunc in modum: intellectus agẽs immediatè producit intellectionẽ (ut ita loquar) in intellectu possibili, Aeternum igitur immediatè producit effectum corruptibilem, ergo falsa prorsus esse uideatur ea enuntiacio, quæ corruptibilium effectorum, esse perpetuò corruptibiles causas adseuerat, itidẽ æternas causas immediatè producere non posse corruptibiles effectus. Diuinus Plato uelut inter Philosophos melior quædam natura, diremit hãc litem, hoc pacto uidelicet: solã immediatè separatas inter intelligẽtias causam primã, producere. s. utplurimùm effectus æternos necessario: cæteras uerò quanlibet æternas intelligentias, immediatè corpora producere uel corruptibilia; quod quidem minimè principijs Aristotelis reluctari sic ostenditur: fatetur Philophus cœlum ab intelligentijs circumduci, idúe quẽadmodum interpretantur autores classici, uelut ab efficiente quodam extrinseco. Auerroes porrò ut naturale corpus esse cœlum ipsum tueatur, ait eidẽ

inesse

inesse principium motus passiuum, hoc est (ut mihi quidem uidetur) ad motum inclinatio seu (ut ita dicam) propensio quedam: quo modo fortassis dicere liceat (quanquam hoc idem adfirmare tutò non ausim) ignis sphæram habere motus initium circularis in seipsa: motus inquam initiũ, non quidem actiuum (quod dubio procul est intelligentia corporis cœlestis) quin potius passiuum, hoc est (ut ego quidem interpretor) habitudinem et inclinationem ad motum circularem: alioquin forsitan cogemur fateri, circularem ignis motũ esse uiolentum, quod quàm absurdum sit, nemo est, qui nesciat: quando Perbipatheticis omnibus planè sit euidens, circularem totius ignis sphæræ motum esse perpetuum. quorsum hæc? si corpora quanlibet corruptibilia motu cieri possunt à corporibus æternis, cùm immediatè tùm perpetuò, quòd eius motus initium saltem passiuum in se ipsis includant, quid prohibet, quò minus ab anima quanlibet incorruptibili, corruptibile corpus ad tempus moueri queat? instabis forsitan, inesse quidẽ initium motus circularis passiuũ ignis sphæræ, sed tamen principiũ motus passiuũ corporibus, quæ quatuor ex elemẽtis cõstant: diuersum à proprio motu naturali, cuius principium actiuum in seipsis continent, iisdem inesse protinus inficiaberis: propterea quòd in eorum cõpositione terra concurrit et aqua, quæ scilicet elementis cæteris collata, uiribus cõtrarijs dissident. uerumenimuerò sicut ignis propria natura

tura

tura sursum fertur, terra uerò deorsum, quemadmodũ & elemẽta reliqua suopte (ut ita dixerim ingenio) propriam petunt sphæram: ita profectò uerisimile fuerit mixtum ex elementis quatuor compactum, propria natura propensum esse, ut ad omnes indiscriminatim pro uoluntatis siue (ut rectius loquar) adpetitus arbitrio locorum differentias feratur: modò talis sit in mixto temperies elementorum, ut unum cæteris haud multùm dominetur; alioquin minimè propria eius natura mixtum illud ad omnes locorum differentias mouebitur, sed illuc tantùm, quò dominans elementum inclinat, properabit: unde lapides & metalla omnia, deorsum cõtinuò propria natuta feruntur, quòd in ijs elementa grauia, magnum exerceant imperium. Plantæ quãquã in eis præcipuè uiget grauiũ elemẽtorũ moles atq; potestas, tamen cũ à tẽperamento perinde non absint, ut inanimata corpora, tãtisper augumẽti motu certis temporibus in oẽs partes extenduntur. quum interea uel secundum omnes locorũ differentias cuncta penè moueantur animãtia. porrò sentientiũ corporum quæcunq; fuerint optimã adsequuta tẽperiẽ, ea promptius quocũq; iusserit adpetitus, promiscuè feruntur, atq; inter animantia unus homo tanquã temperatissimus, non modò longè præstantius initiũ motus passiuum, ad omnes locorum differentiàs intrinsecum possidet, uerumetiam actiuũ motus principium ad easdem omnes differentias longè dignius

nanci-

nanciscitur: si quidem in brutis, efficiens motuum naturalium unus est adpetitus, sensualis facultatis minister atq; satelles: cum in hominibus interea nequaquam idem adpetitus dominetur, sed uni secundum eius compositi naturam obediat rationi. Quam ob rem si corporibus compositis initium motus passiuum inest, ad omnes locorum differentias: intelligentiarum autem naturæ non aduersatur, quin efficientes, pariter esse motus causæ possint (quod de cœlo nemo Peripatheticus diffitetur) quid probibet, quò minus corruptibile corpus aliquod examussim, utpote tali motus passiuo præditum initio: quid probibet inquã tale corpus inter corruptibilia perfectissimum, ab externa quapiam intelligentia tanquam ab efficiente, cui cæteræ facultates eiusdem compositi secundum naturam obsequantur & obediant, motu cieri? quod nam inde, si semel istud admittatur, emergit incoueniens? si dixeris immortalem intelligentiam uilescerè, si corruptibile corpus tractet, eodem iure pronunciabo supremam intelligentiam, hoc est, Deum, iuxta Peripatheticorum sententiam: longè turpius exercere seipsam, dum sphæram ultimam circunducit. nec proderit quidquam ea fuga mediusfidius, nempe Deum haud uilescere mouendo, quòd nimirum id mobile sit æternum & incorruptibile: non proderit inquam ea fuga, quoniam si motor uterq;, utriq; mobili proprio cõferatur, mox adparebit, longè minorem esse pro-

portio-

potionem inter motorem primum & primum mobile (utraq; licet æterna sint) quàm inter animam rationalem intelligentiarum ultimam, quantumuis incorruptibilem, & corpus ipsum hominis, utcunq; caducum atq, corruptibile: quod uel hac una ratione conuincitur, quoniã unus inter omnes intelligentiás motor primus, præter id, quòd æternus est, infiniti præterea uigoris esse perhibetur, idq; uel ipsis Peripatheticis adsertoribus; adhæc idem primus motor iuxta sententiam eorundem, quãquam haud est reliquarum intelligentiarum efficiens causa, nihilominus ab eo uelut à supremo bonorum datore dependent, atq; per omnia sæcula conseruantur. Hactenus æternas causas, siue fuerint intelligentiæ, seu corpora, effectus posse corruptibiles edere, satis (ut mihi quidẽ uidetur) superq; probauimus. adeô cum Platone sẽtimus, nẽpe primũ unum motorẽ præcipuè existimantes, proximè, hoc est, immediatè effectus æternos, scilicet plerunq; saltem producere. restat ut Aristotelem tertio cœli adseuerantem, ab æternis causis effecta corruptibilia nequaquam immediatè proficisci posse, tandem interpretemur. iniurius etenim atq; contumeliosus fuerim, præterea forsitan temerarius, si tam insignem Philosophũ, cui tantum debet uniuersus orbis, hostiliter insecter: quem decet, sicubi prima frõte fortassis delinquere uideatur, manibus ac pedibus (quoad fieri potest) tueri: quãquã ille ipse, seipsũ minimè talẽ

aliquo-

aliquotiens erga præceptorem suum Platonem præstiterit: cum alioquin ab eodem, quemadmodum & ab Hippocrate prius, magnam simul ac præcipuam Philosophiæ partem: quanuis ab eo confusè traditam ob imperitiam logices, & decerpserit, & perclam suffuratus fuerit. Antè quàm hoc loco Philosophum exponamus, in primis se se offert æquiuocatio distinguenda, quæ (meo saltem iudicio) multorū occasionem præstitit errorum. immediatè seu proximè quidpiam agere, duplicem habet intelligentiam, primò dicitur proximè quidpiam agere, quotiens aliquod propria uirtute propriam edit operationem, uerbi gratia: caliditas immediatè proficiscitur ab igne, quia præter id, quòd eam ignis proximè generat, eandem præterea solus ignis peculiari sua natura producit. secundò dicitur agi quidpiam ab alio proximè, quoties ab eodem immediatè quidem gignitur, sed tamen isthæc operatio non est eiusdem efficientis propria: puta cœlum mouet elementa, quāquam id agit immediatè, tamen haudquaquam motum in genere, cœli proprium opus esse enuntiaueris. quocirca Philosophum arbitrari crediderim, cœlum utpote substantiam æternam (eodem adsertore) æternos effectus per se producere, non quoslibet, sed eos tantūmodò, quos per se proprieq; parturit, exēpli gratia: motus non in genere, sed is tātùm qui circularis adpellatur, ita proximè prodit à cœli substantia, ut etiā eius idē quoq; proprium opus esse creda-

credatur: propterea quòd (ut opinor) cœlesti substantiæ per se primoq; cõueniat: adeô causarũ æternarum effecta, necessariò fuerint æterna, si de proprijs tãtùm effectis æternarũ causarũ intelligamus, non autem de communibus. Quare quod lunæ sphæra uicinum ignem circumagat, quanquam id quidquid est operis æternum est in specie, non est tamen æternum in partibus ignis eiusdem, indiuiduis omnibus perpetuò: quòd nimirũ id opus minimè cœli proprium sit, sed elementaribus corporibus commune: si quidem constat eandem ignis sphæram, inferiorẽ aerem pari ratione uolutare, quẽadmodum & aer aquam eadem ratione, quo ad fieri potest, circumducit: idem intelligentijs nedum corporibus æternis usuuenire, nullum omnino uideatur inconueniens, quando satis superq; sit, æternos esse proprios eorũ effectus. Quam ob rem quòd inter intelligentias ultima simul ac imperfectissima, quoniam utriusq; naturæ, uidelicet etiã corruptibilis quodammodo particeps offenditur: id opus commune speciebus corruptibilibus, nanciscatur, scilicet ut corpus organicũ adpositè examussim, adfabreq;, hoc est, numeris omnibus absolutum constituat, nullum inde mediusfidius emergit inconueniẽs: atq; id opus in specie tãtùm æternum est, nõ autem in indiuiduo, propterea quòd eiusdem efficientis intellectus minimè propriũ opus esse dignoscatur: quando speciebus etiam, quæ uidelicet ex ipso materiæ gremio sinuúe (quod dici

solet)

solet) elici cõsueuerunt, commune sit. adeô nullum omnino sequi uideatur inconueniens, si causarum æternarum uel intelligentium, effecta corruptibilia esse posse concluserimus & immediata, modò earundem minimè deprehendantur esse propria, atq; hæc pro demoliendo primo aduersariorum aggere, qui partes Alexandri tuentur, dicta sufficiant.

TRES ALIAE RATIONES aduersariorum discutiuntur. Cap. XVII.

SECVNDVM inter præcipua, quæ uidelicet aduersarij passim obijciunt argumenta, sic habet: si à substantijs æternis, nullo medio scilicet interueniente, corruptibile quidpiam proficisceretur: id indubiè foret æternum, atq; ita quod propria natura defectibile, mutilum, & caducum est, ab alio nancisceretur æternitatem, quod apertè Philosophi decretis aduersatur primo cœli. Amplius aliud sequeretur incommodum, nempe si materia & subiectum (quod nos possibilem intellectum esse fatemur) unâ cum intellectu agente foret æternũ: sequeretur inquam intellectum quodlibet æternum esse, quod Themistio obijcit Auerroes. Sanè ex primæ dubitationis solutione, uel paruo negotio colligere liceat obiecti secundi destructionem nanq; dum ais: si

dis: si corruptibile, quidpiam immediatè produceretur à causis æternis, illud ipsum æternum euaderet: fatcor id fortassis inde colligi posse, si de corruptibilibus effectis, immediatè uidelicet inde prouenientibus loquamur, quæ propria sunt æternarum causarum effecta: quòd si non de proprijs, sed de communibus, quanquam immediatis earundem effectis intelligas: sanè tùm illationem eo casu nequaquam admittimus. pari demum ratione tertium deletur obiectum, si quidem intelligibilia siue uniuersalia, cũ nec possibilis nec agentis intellectus propria sint opera, quanquam immediata: haudquaquam æterna fuerint necessariò, quare nec intellecta pariter æterna fore ratio conuincit. Quartò sic urgent: libro de anima primo & tertio Philosophus docuit, quòd qua ratione, corporis habitus (ut sanitas) cum ipso corpore satiscit, eadem & scientia; quæ animi nostri habitus est, perit: propterea ipsum intelligere simul ac reminisci, rationi consentaneum est marcescere, ubi semel homo perierit. itaq; penitus intereunt intellectus opera, quotiens interius aliquod corrumpitur, siue corruptum illud interius, imaginationem esse fingas, seu possibilem intellectum. quòd si propria intellectus opera semel interire fatearis, hoc est, eorundem operum aptitudinem atq; potentiam: quod in libro de longitudine uitæ Philosophus indicasse uidetur inquiens, sublato homine, scientiã utpote intellectus habitum aboleri: si proprios in-

quàm animæ rationalis habitus fatiscere semel admiseris, ipsum intellectum quoq; nonnunquam occidere, uel inuitus ultrò fateri cogeris. Huic telo occurrentes dicimus, eiusdem animæ rationalis siue possibilis intellectus effecta quanlibet propria, nequaquam interire, dum ipsum hominis corpus corrumpitur, quin potius ipsum operandi modum aboleri: quam ob rem non scientia, non reminiscentia, non alius deniq; posibilis intellectus habitus, quodam interius corrupto fatiscit, sed reminiscendi, sciēdi seu intelligendi modus marcescit, quia statim à morte corporis: nēpe sublatis è medio, quibus possibilis intellectus ad intelligendum atq; reminiscendum utebatur, medijs: haudquaquam amplius eodē modo scit, intelligit, ac reminiscitur, quo prius in hac mortali uita intelligere, scire, reminisci; adhæc amare, pariter & odire consueuerat.

ADVERSARIORVM QVINTA ratio diluitur. Cap. XVIII.

QVINTO mortalitatis animorū fautores ita ratiocinantur: Intellectus passiuus à natura nobis est inditus, uelut instrumentum animæ quoddam: uidelicet quod ut læditur, ità plurimo tēpore præterea uidetur indigere, prius quàm absoluatur, quemadmodum & cætera corporum naturalium instrumenta: prius quàm operen-

operentur: ergo sequitur, eundem omnino interitu quemadmodum & generationi, pariter expositũ et obnoxium esse. itaq; si noster animus æternus foret, haud à natura, sed ab ipso Deo proximè penderet: si quidem æternitas (Aristotele secundo cœli teste) non naturæ, sed Dei solius effectus esse dignoscitur: animus porrò noster corruptibilibus, quod minimè substantiam æternam decet, adnectitur atq; copulatur: unde ubi primùm in lucem uelut in scenã hanc sublunarem prodierimus, haud extemplò nobis præsto est intellectus perfectus, sed in potẽtia primùm, hoc est, imperfectus & agraphæ tabellæ persimilis adeô: ut nihil penè differat à bestijs anima pueri, quod uel octauo de hystoria animalium Philosophus adnotauit, qui postmodum intellectus processu temporis absoluitur atq; perficitur: scilicet in senectute, seu (ut uerbis utar Auerrois) uigoratur, quanquã Aristotele xij. Methaphysices relatore, pauco tempore perseuerat isthæc perfectio: quæ omnia possibilis intellectus corruptionem ob oculos constituunt, quæ quidem Aristoteles trigesima sectione problematum expressisse uidetur, idq; felicissimè: ubi quærens cur seniores plus mente ualeamus, & iuniores ocyus discamus, ad uerbum inquit: Natura parens & author omnium, instrumenta duo nobis inseruit, quorum opera instrumentis extraneis uti ualeremus. Manuum inquam corpori dedit, animo mentem, est enim mens quoq; rebus à natu

ra nobis impertitis adnumeranda, uicem sanè gerens instrumenti. Cæteræ omnes scientiæ, artesq; nostra opera sunt; mentem ipsam opus esse naturæ fatendum est. Vt igitur manu, non iam inde ab ortu naturæ uti possumus, sed cum eam natura absoluit, perfecitq; (procedente nanq; ætate manus suum opus maxime efficere potest) ita etiam mens, quæ res naturalis est; non protinus, sed in senectute maxime nobis contingit, atq; tunc potissimùm consumatur, acq; absoluitur; nisi detrimento aliquo lacera, læsaq; sit, quemadmodum cætera quoq; opera naturæ. Mens uerò posterior, quàm manuum facultas accedit: quoniam etiam instrumenta mentis, posteriora sunt, quàm manuum instrumenta: est enim mentis instrumẽtum scientia: menti nanq; utilis, scientia est, ut tibicini tibia. Manuum instrumenta, res pleræq; naturales sunt: natura autem ipsa, eiusq; res omnes, priores sunt, quàm scientia. Quorum autem instrumenta priora sunt, facultates quoq; eorundem prius contingere congruum est. His enim crebrò uitẽtes conficere habitum solemus, & ista sic reciprocãtur, ut quã uicẽ hæc inter se gerũt, quorũ instrumenta sunt, eandem instrumenta quoq; ipsa inter se habeãt: uicissimq;, quẽ instrumẽta inter se, eadẽ illa, quorum sunt instrumẽta. Mens igitur ea de causa nobis senioribus contingit. Discimus autem ocyus iuniores, quia rem fermè nullam tenemus,

cùm

, *cùm enim res plerasq; scimus; non æquè præte-
; rea capere alias possumus. Quomodo etiam me-
, minisse melius ea ualemus, quæ mane primũ per-
, cipimus: Deinde procedente die, memoria hebe-
, tatur quoniam multa iam perreptauimus. Hæc Philosophus, ex quibus colligere liceat, humanum intellectum esse naturalem potentiam, atq; occasui interituiq; expositam. Verumenimuerò responden tes aduersariorum obiectis, ut umbone nosmet aduersus eorum iacula contegamus; Passiuum intellectum hic eo ferè modo proficere indies perficiúe confitemur, quo Theologi passim eum Euangelij textum exponentes: Proficiebat autem ætate & sapientia, Christum dominum profecisse dicunt, dum infans ac puer esset, scientia (ut eorum uerbis utar) experimentatiua: quum alioquin eidem utpote Deo, cuncta perpetuò fuissent examussim obuia pariter ac perspicua. Eodem ferè modo forsitan saltem aliqua ex parte noster intellectus, naturâ scilicet incorruptibilis ac uiuum diuinitatis simulacrũ: cũ æternas inter intelligentes substãtias imperfectissimus sit, & naturæ corporeæ quadantenus similis, ea scilicet similitudine, quæ corruptibiles inter substantias & incorruptibiles contingere potest: humanus inquam intellectus propriæ scilicet imperfectionis pondere, uelut graue quoddam illabitur corporibus, ac quemadmodum intelligentiæ superiores æterna corpora, hoc est, cælum circunducunt: ita*

molem hanc ipse quanlibet corruptibilem, tanquam proprium globum uersat, atq; pro arbitrio disponit, simul et eiusdem corporis organa prius à subiectis sibi facultatibus adfabrè constructa, uelut supremus artifex supremam manum imponens, numeris omnibus absoluit adeô, ut ne fingere quidpiā liceat, quod ad exquisitam huiusce corporis compagem desyderari queat: quod uel euentus abūdè testatur, quādo nullum aliud animalis corpus uspiam offendatur, quod cum exteriori pulchritudine, tùm interiori particularum artificiò, cum uno hominis corpore, scilicet intellectus humani domicilio conferri possit. Quorsum hæc? quemadmodum anima rationalis propria natura corpus adpetit, ut eiusdem organorum interuentu (quando secus id consequi minimè liceat) species rerum corruptibilium sibi similes aliquando reddat, quo ad fieri licet, ac eas quàndoq; sic agnoscat, dijudicet, ac (ut ita dixerim) intueatur. Quemadmodum inquam humanus intellectus corruptibile corpus organicum, summa (quàm maximè potest) arte constituit, ut eius opera tanquam instrumento, inferiora uelut superiorum atq; diuinarū substantiarum simulacra, quatenus id fieri licet, agnoscat, & intelligat: profectò quod cupit, consequi non potest, ni prius adamussim absoluta fuerint eiusdem corruptibilis corporis instrumenta, quibus in obeundis hisce munijs seu fonctionibus, uti cogitur: dico autem intellectum uti corpore

pore tanquam instrumento , non quòd in ipso actu intelligendi utatur organo corporeo: quandoquidem sic ipse quoq; uirtus corporea foret & corruptioni pariter expositus, quod libro huius operis secundo, satis (ut opinor) superq; monstratum est : uerùm intellectum uti corpore tanquam organo, ita uelim intelligi, quia corporis interuentu, puta sensuum exteriorum primò, dein interiorum, species tandem recipit intelligibiles: atq; hoc est, quod Aristoteles totiens inculcat, nempe nihil esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu. proinde nil mirum , si nequit intellectus operari, ni prius corporis temperamentum eô perfectionis uenerit, ut nihil penè amplius desyderari queat: siquidem perfectis sensibus & undiquaq; absolutis, quæ sensibus deseruiunt cùm exterioribus , tùm interioribus instrumentis : certior atq; perfectior euadit sensuum cognitio, quò fit ut intellectus demum clarius atq; distinctius intelligat, quum eius opus ab obiecto corporeo, uelimus nolimus, necessariò pendeat, si non ipso intelligendi actu, saltem antè quàm intelligat. Accedit quòd intellectus in ætate senili (quanquam eo tempore, corporis temperamentum haud ita perfectum est, ac in iuuentute) propter diutinam consuetudinem recipiendi species intelligibiles: dein ob longum exercitium conferendi species, per discursum rationis inter se receptas, prudentior atq; peritior euadit. quòd si corporis opera non indigeret, nihilò debi-

liorem in infantia nancisceretur intellectus discursum, ac in senio, atq; hæc pro infirmanda aduersariorum quinta ratione dixisse uoluimus.

SEXTAE RATIONIS EORVNdem confutatio. Cap. XIX.

SI intellectus potentia (inqniunt) æternus foret, in qualibet parte corporis offenderetur, ac sic & totus esset (quod aiunt) in toto, pariter ac totus in qualibet parte: illatio probatur, quoniam si foret incorporeus, nihilo magis hanc partem corporis occuparet, quàm aliã, sed esset ubiq;. At intellectus est in corde quemadmodũ & anima tota: nanq; si intellectiuum à sensitiuo diuelli nequit atq; uegetatiuo, dubio procul in ea sede necessum est intellectiuum offendi, ubi moratur sensitiuum atq; uegetatiuum, at eiusmodi sunt in corde, igitur & intellectiuum: in corde inquam offenditur uelut in subiecto non autem tanquam in organo, quod Aristoteles in libello de iuuentute & senectute docuit: ubi ait cor esse animæ sedem, sed explicatius illud idem in coronide libri de Communi animalium motu expressit his uerbis: Animal ità, constitutum esse iudicare debemus, ut ciuitatem benè legibus instructam & temperatam, In hac. n. postquam administrationis ratio semel instituta est, nihil oportet absentem principem rebus singulis,

quæ

, quæ geruntur, intereſſe: immò uerò quiſq; ſuis fun-
, gitur officijs, ut mãdatum eſt, & aliud poſt aliud
, ex conſuetudine administratur & inſtituto. In
, animalibus hoc ipſum tùm per naturam efficitur,
, tùm quòd ſingula, quæ ita conſtituuntur, ad mu-
, nera ſua probè exequenda ſunt adfecta. Quocir-
, ca non opus eſt in unoquoq; membro animam in-
, eſſe, ſed cum in certo principio cõſiſtat, & reliqua
, membra, quòd illi adiungantur, uiuunt, atq; of-
, ficia per naturam obeunt ſua. Hæc Philoſophus.
Verumenimuerò quòd intellectus in corde tanquã in regia ſede moretur: hoc haud uetat, quò minus idem in cæteris membris ineſſe poſſit, quanquam eius ſedem cor eſſe fatemur non ſolam, ſed primariã atq; præcipuam: quòd nimirum ibidem operationes animæ clarius emicent, atq; uelut radij quidam inde per uniuerſum corpus corruſcent atq; diffundantur: unde Philoſophus in libris de partibus animalium, cerebrum quoq; dixit, animalium functionum eſſe principium: ſcilicet mea quidem ſententia, quòd in eo primùm ſenſualis facultas exerat uires ſuas. porrò ſicut Deum Opt. Max. in cœlo eſſe dicimus, ſicut & Ariſtoteles in primo mobili motorem eſſe primùm adſeuerat, non quòd prima cauſa, cum ſit magnitudinis expers, locum occupet, ſed quòd ibidem modo quodam operetur præcipuo: ita nimirum humanus intellectus, quanquam uniuerſum corpus occupat uelut proprium eius domicilium, haud ſe-

cus

cus ac Deus ubiq; est, hoc est, in quacunq; parte totius orbis uel minima: quod in libris de generatione animalium indicauit, inquiens ubiq; Deos esse, cum ubiq; diuinitatis opera fulgeant: ita inquam humanus intellectus, cum in singulis uniuersi corporis humani particulis, eius operationes adpareant, quando singulæ corporis particulæ, secundum naturam unius rationis imperio subijciantur, eiusúe legibus pareant, iure merito in toto corpore esse, dici queat: non ut in loco, sed quod Ioannes Scotus de separatis intelligentijs adnotauit, diffinitiuè (ut eius utar uerbo) hoc est, eo modo, quo res quantitatis expers alicubi esse potest: Philosophus autem ait, haud opus esse, in unoquoq; mēbro animam inesse, sed eam in certo quodam principio consistere: non quòd re uera non insit unicuiq; membro, (quî enim membrum foret animatum, si uel momento temporis anima distitueretur?) uerùm animam nō inesse particularibus membris enuntiauit, quòd ijsdem præcipuo excellentiúe quodam modo nō insit: alioquin absurda nimis Aristotelis enuntiacio fuerit, quotusquisq; enim est, qui sensualem animam effutire audeat, & altricem facultatem non inesse (de quibus omnibus Aristoteles hîc haud dubiè disserit) membris singulis?

SEPTI-

SEPTIMA RATIO DELETVR. Cap. XX.

SI possibilis intellectus, qui propria natura uidelicet potẽtia est, à Socrate (idem de cæteris humanæ speciei particularibus intelligi uelim) separabilis foret: omnino sequeretur, quòd id, quod per suam naturam est potentia, aliquando per se redderetur actus, cum alioquin actus & potentia differentiæ sint ualde oppositæ: ac sic quẽadmodum (ex Simplicij sententia) passiuus intellectus per unionẽ est possibilis, ita per separationem, fieret actus: siquidem oppositæ causæ solẽt oppositos effectus producere, unde sequitur, intellectum esse potentiam per accidens, hoc est, per unionem, quod euẽtus declarat, si uera fatentur isti (inquient aduersarij) quandoquidem unione corporis è medio sublata, desinat esse potentia: adeô iuxta sententiam eorum, qui tuentur immortalitatem, temerè uideatur Aristoteles enuntiasse, passiuum intellectum, sua ipsius natura propria nil aliud esse penitus, quàm potentiam. Atqui ut donemus hasce rationes esse coloratas (ut ita loquar) atq; uerisimiles, ita nihil easdem colligere non diffitemur: siquidem passiuus intellectus, quemadmodum per diexodon, id est, per diffusam enarrationem libro huius operis primo & secundo monstrauimus, ab Aristotele mera potentia nudaq; dicitur, idúe propria eius natura: sed tamen

men non simpliciter et absolutè quidẽ, quin potius per comparationem ad species corruptibilium substantiarum sensibiles. nanq; si possibilis intellectus in se consyderatus haud foret actus, sed pura potentia: non modò similis esset primo corruptibilium corporum informi subiecto, uerumetiam eodem uilius foret: quando materia prima (quod libro secundo monstrasse confidimus) actu quouis orbata minimè dignoscatur, sed actus expers cuiuslibet esse credatur: non absolutè tamen atq; simpliciter, sed hac lege tantùm, nempe si cum speciebus corporum corruptibilium conferatur: quòd nimirum una species, utpote perfectus actus, digna censeatur actus uocabulo. Proinde cum animæ rationalis contemplatio naturalis sit (quod primo libro declarauimus) & ad hunc finem à Philosopho suscepta, ut unius hominis substantia, qui ex anima corporeue constituitur, nota nobis tandem euaderet: quum animæ rationalis inquam contemplatio naturalis sit, atq; non simpliciter, sed ut pars hominis est, aut saltẽ quatenus ad hominis operationes concurrit, consyderetur: propterea Philosophus absolutè passiuum intellectum effert, puram esse nudamúe potentiam, scilicet collatione facta cum speciebus corporum corruptibilium: cum alioquin (quod libro secundo copiosè ni fallor, mõstratum est) ipse sit actus: quanquam si conferatur quoq; cum intelligentijs superioribus, pura rursus nudaúe potentia dici queat, quemadmo-

dum

dum etiam citato loco declaratum est, his itaq; suppositis, aduersariorum argumento respondemus, aiunt enim: si passiuus intellectus foret à materia separabilis, quod per se potentia est, efficeretur actus per se: suppositū huius argumenti, nempe quòd intellectus passiuus mera nudaúe potentia sit, indubiè uenit distinguendum, nanq; si consyderetur quatenus ad species rerum sensibilium refertur, pura potentia iure dici debeat: sin autem semota relatione quauis, in se ipso propriaq; natura consyderetur intellectus passiuus, dubio procul & actus fuerit, & perfectus: quòd uel ex eo perspicuè colligi potest, quòd species rerum sensibilium ab agente quantunuis intellectu prius illustratas, ita recipiat (quod materiæ subiectiq; proprium est) ut etiam dijudicet: quam mediusfidius operationem ad speciem, eamúe corruptibilium formarum omnium perfectissimam pertinere, nemo est tam perfrictæ frontis, qui negare id audeat. proinde passiuus intellectus, utpote propria natura separabilis à corpore, quotiens ab eodem, actu separatur, actus euadit perfectissimus: scilicet in suo genere, cum alioquin corpori copulatus, actus esset admodum imperfectus adeô, ut pura (uidelicet ea ratione qua dictum est) existimaretur esse potentia.

OCTA-

OCTAVA RATIO CONVELLITUR. Cap. XXI.

SI proprium opus aliquod habet intellectus passiuus, illud præcipuè fuerit intelligere: At hoc absq; phantasmatibus fieri nequit, ergo nō est animæ rationalis opus proprium. huic obiecto supra, libro huius operis secundo fecimus satis, quò fit, ut paucis hoc loco uerbis egeamus. tantùm hîc uelut epilogo breui referemus, quæ loco citato fusissimè prosequuti sumus. Sanctus Thomas occurrens huic dubitationi ait, solam obiecti dependentiam, scilicet modò passiuus intellectus, non utatur organo corporeo: solam inquam obiecti dependentiam haud uetare, quò minus intelligere dicatur esse rationalis animæ proprium opus: unde cum intellectus nequaquam utatur phantasmatibus uelut organo, sed ab iisdem solùm tanquam ab obiecto pendeat: intelligere nihilosecius, eiusdem animæ rationalis proprium opus fuerit. equidem supra citato loco laborauimus pro uirili atq; ostendimus, iuxta Philosophi sententiam, uel solam intellectus à corpore dependētiam efficere, ne ipsum intelligere proprium opus intellectus iure dici queat: propterea nouam commenti sumus glosam, dicentes oportere, ut intellectus eo tempore saltem, quo fit ipsum intelligere, nequaquam à phantasmatibus dependeat necessariò: quanquam uel eo temporis momento, quò uidelicet

delicet

delicet, intelligendi producitur actus, forsitan euenire possit, ut agens intellectus noua rursus illustret phantasmata.

NONA RATIO.
Cap. XXII.

PHANTASMA licet minimè dici queat æternæ naturæ particeps, quando uirtus omnino corporea sit, attamē hoc medio (scilicet modo quodā) unitur unâ cum intellectu sensus, adeô iure phantasma uideatur cum utroq; nonnullam habere cognationem: si quidem quod extrema duo connectit, ac medium est, illud idem utriusq; naturæ particeps sit, & cum utroq; cognationem habeat oportet. unde si passiuus intellectus foret æternus, ac per consequens à sensu, nō natura solùm, uerumetiam plusquàm genere distingueretur: omnino sequeretur, æternum & corruptibile, medio quodam uniri, uidelicet cum utroq; cognationem habente, quod simul æternum foret ac corruptibile: quando medium extremæ penitus oporteat esse particeps utriusq; naturæ, quarum medium esse perhibetur, idq; si uerè proprieq; medium esse debeat. itaq; cū phantasma, sensus & intellectus uerè medium esse censeatur, ac per consequens utriusq; particeps, edepol utrunq; necessariò sequitur esse corruptiblle uel

incorru-

incorruptibile, (alioquin esse medium ipsum, nempe phantasma corruptibile, simul et incorruptibile fateri cogemur) cũ utrimq; mutuò ratione medij cognationẽ habere suppositũ sit: quam mehercules cognationẽ haud haberent, si alter corruptibilis, incorruptibilis alter foret: atqui uterq; incorruptibilis esse nequit, quòd sensum corruptibilẽ esse nimis euidẽter adpareat, de intellectu autẽ lis adhuc pendeat: Ergo sequitur utrunq; uelis nolis (ita enim aiunt) esse prorsus incorruptibilẽ. hæc sunt quæ in fauorem rationis aduersariorum adduci possunt, quibus non obstantibus aio, nihil impedire, quò minus corruptibile quidpiã (scilicet quod suæ speciei puritate cæteris præstet corruptibilibus) similimum: si non in substantia, saltem in accidentibus esse queat incorruptibilibus substantijs, quod probatur: quia cœlum quantunuis æternum iuxta Philosophi sententiam, elementis quanlibet corruptibilibus similimum esse deprehenditur: quando luminosum sit, cuius accidentis uidelicet, ignis quoq; cernitur particeps: prætere a quãtitates possideat haud secus, ac inferiora corpora: adhæc globus lunæ (quemadmodum & elementum terræ) planè uisitur obscurus & opacus, quod uel unus solis defectus adpositè commonstrat: in summa, tãta est in quibusdam caducis rebus conuenientia, cum æternis substantijs atq; similitudo, ut Aristoteles atq; Plato diuinus, sæpenumerò cogantur rebus interituris nomen diuinitatis indere:

quò

quo modo admirabilis omnium hominum (si diuino numine semel adflatos excipias) quos natura parens genuit, Hippocrates: uirtutem animalium formatricem (alioquin naturalem) diuinam adpellat; cuius uestigia passim postea sequuti sunt, cùm Aristoteles in libris de generatione animalium, tùm Galenus, & in libris de usu partiũ multotiẽs, & in tractatu de formatione fœtus. item sicut species corruptibilium puriores atq; præstantiores nil prohibet, æternis similes iudicari substantijs: ita substantias uel intelligentes, æternarum omnium scilicet intelligentiarum imperfectissimas (quæ animæ rationalis est conditio) iure nihil impedire queat, quò minus corruptibilibus offendi possint persimiles: præsertim cum euidenter satis adpareat, non modò uilissima corporum corruptibiliũ, esse summo rerum authori similia, uerùm etiam primum quoq; subiectum informe, uerisimiliter primæ causæ rerum simile quadantenus esse deprehẽditur: quãdo constet illud idem, etiam eidem authori primo, quatenus imbecillitas sua permitit, adsimilari cupere. Quam ob rem dum aiunt: intellectus atq; sensus medio connectũtur, utriusq; cognationẽ habente, igitur uterq; corruptibilis, aut incorruptibilis: sanè ex declaratis illatio suapte sponte, uel ingenti fragore ruat (ut ita dicam) oportet: quando nihil impediat (quod satis superq; probatum arbitror) offendi, uel in ipso (quod aiunt) interliminio, seu rerũ æternarũ atq;

Andr. Camu. X *corru-*

corruptibilium confinio quædam: non in substantia, uerùm in accidentibus utriq; naturæ similima adeò, ut naturã (in accidentibus saltem aliquot) utranq; participare uideantur, & per consequens, utriusq; naturæ media iure merito dici queant.

DECIMA RATIO. Cap. XXIII.

AMPLIUS inquiunt: si passiuus intellectus foret incorruptibilis, idem corruptibile materiatum (ut eorum utar uerbis) esset æterni materia, simul ac intellectus æterni motor, quod omnino ueritatis limites excedit: si quidē quod imperfectius est tota natura æterna, cuicunq; conferatur æterno, semper habebit rationem imperfectioris: quare nec agere queat in rem æternam, quòd nimirum agens passo nobilius esse, quouis iure censeatur. neq; rursus æterni poterit esse materia, quando præter Auerroem libro de anima tertio adseuerãtem, corruptibile nullum esse materiam æterni, ratio præterea prorsus idem adstruat, siquidem effectus per se & immediatus æternæ causæ, æternus est necessariò: at nullus effectus in materia corruptibili est æternus, ergo nullus effectus in materia corruptibili fuerit effectus immediatus æternæ causæ. quapropter phantasma cum sit obnoxium corru-

ptioni,

ptioni, nec materia profectò dici queat agentis intellectus, nec agens pariter seu motor erit intellectus possibilis, supposito uidelicet quòd sit immortalis: nec liceat (inquiunt) fingere, quòd phantasma sit instrumentum intellectus agentis, quanuis haud sit agens primarium: quandoquidem simili ratione fingere possit quispiam, elementum ignis, quatenus instrumentum solis, in cœlum agere: quanuis materiam communem non habeat, ac sic Aristotelis ratio quãquam efficacissima, penitus corruat, oportet: quippequi ut probet in cœlum ignem nõ agere, huic uni potissimùm innititur fundamento, quòd utriusq; materia, cœli uidelicet ac ignis, genere sit diuersa, seu (quod Auerroi magis adridet) plus quàm genere. Quocirca non solùm agentis primarij, uerumetiam instrumẽti rationem habere phantasma poterit, si cum intellectu passiuo conferatur: instrumentum enim quanquam imperfectius est quiddam agente principali, tamen quatenus passo comparatur, quoniam attingit effectum agentis præcipui, eatenus passo perfectius sit, oportet. Hæc atq; alia id genus in fauorem adductæ rationis comminisci liceat, quibus attamen non obstantibus dicendum uidetur, ignobilius agere posse (quidquid aduersarij mussitent) in id, quod nobilius est, quod sic probatur: quoniam accidentia dubio procul agunt in substantias, & easdem corrumpunt: præterea ut donemus aduersarijs hoc loco, passiuũ intellectum esse

corruptibilem; ita concedi mihi uelim ab iisdem optimo iure, eundem intellectum esse longè præstantiorem atq; digniorem speciebus sensibilibus. proinde cum (eisdem adsertoribus) species sensibiles ab obiectis decisæ, sint accidentia: cur admittunt easdem in sensum, dein in intellectum agere possibilem, utpote substantiam omnium corruptibilium perfectissimam? quî igitur inconueniens esse ducunt, ab ignobili pati nobilius, cum aliâs illud idem & admittant & adseuerent? at instabis forsitan, in naturalibus hoc quidem offendi posse, nempe ut rem nobilem efficiens ignobile moueat, propterea quòd in materia saltem communicent: uerùm quòd res corruptibilis æterni motor esse queat, cum plus quam genere (quod sæpe repetitum est) distinguantur: hoc sanè protinus inficiaberis, quando quidquid agit, si agere debeat, cum eo saltem in quod agit, in materia cõmunicet oportet. hîc altius exordiendum est. diximus supra (quod & denuò repetimus utiliter) iuxta Platonis sententiam, res corruptibiles æternorũ esse imagines atq; simulacra: scilicet (ut ego quidẽ interpretor) quòd ab eis natura licet plus quàm genere differant, tamen in operibus seu quibusdam accidentibus cõueniunt, uidelicet utriq; naturæ quãlibet diuersæ communibus. huic sententiæ uel Aristoteles tacitè subscribit, corruptibilia dicens, æterna (idq; propria natura) semper adpetere: quod certè fieri nequeat, si penitus omnem è medio sustu-

lcris

leris utriusq; naturæ similitudinem, æternæ uidelicet atq; corruptibilis. porrò quæuis similitudo uel in substãtia uel in accidentibus reperiatur, necesse est: atqui nequaquam ea libenter iuxta ac prudenter in substantia conuenire dixeris, ergo restat, hanc utranq; naturam, accidentium ratione similem agnosci: unde uideas omnes ex æquo libenter condonare, Deum quemadmodum & hominem, intelligere unà cum cæteris intelligentijs: quasi certum sit, in hoc opere similes conuenire substantias, quanquam in intelligendi modo easdem haud conuenire fateantur omnes. Quorsum hæc? dum inquis: corruptibile nequit in æternum agere, & æterni motor esse; tùm quòd ignobilius sit, tùm quòd ab eo tota natura dissentiat, nec aliqua in re communicet: respondeo nihil uetare, quò minus ignobile (quod supra probatum esse crediderim) agere possit in nobilius. præterea quod ais isthæc tota natura dissentiue, respondeo, quòd licet naturâ, hoc est, substantia plus quàm genere discrepent, accidentibus tamen (quod supra satis probatum est) conspirant adeò, ut à corruptibili mirificè desyderetur æternum, tãquam finis & optimum, Itaq; dum ais, hascè naturas penitus dissentire: respondeo, naturas easdem in nonnullis saltem accidentibus conuenire: quare falsum esse dicimus, quòd omnino dissentiant, quò fit, ut earum una eatenus in aliam agere possit, quatenus partim simi les, partim dissimiles, uidelicet in accidentibus esse

deprehenduntur, quò fit, ut æternum in res corruptibiles agere, & ab eisdem pati uicissim (scilicet eo modo, quo res æterna pati potest) nullum esse penitus uideatur inconueniens: quemadmodum æterna corruptibiles effectus, dum agunt in corruptibilia, producere posse, prorsus rationi consentaneum arbitramur: & Aristotelem præterea tertio cœli dicentem, æternarum causarum æternos effectus fore necessariò, sic interpretámur: ut de causarum æternarum effectis, non quibuslibet, sed de proprijs tantùm intelligat. Cæterûm quòd aiunt efficiens quodlibet, seu primarium sit, siue instrumentum & secundariũ, semper esse perfectius passo: equidẽ istud uel ultrò libenter admisserim, si quidem efficiens quoduis suapte natura quanlibet ignobile, quotiens agit in nobilius, si cum eo quantunuis nobili: scilicet in quòd agit, conferatur, eatenus eodẽ perpetuò nobilius fuerit, quatenus agit in illud, idq; siue tanquam agens primarium operetur, uel ut instrumentum: quòd instrumentum scilicet, quanuis sit quiddam imperfectius agente principali, tamen ut comparatur cum passo, quoniam attingit effectum principalis agentis, ea ratione saltem, passo perfectius esse dignoscitur.

VNDECIMA RATIO. Cap. XXIIII.

ALIVD Ratiocinium aduersarij comminiscuntur, idq; difficilimum dicentes: Si passiuus intellectus deforis accederet, ac nobiscũ per operationem connecteretur, Haud esset in nobis intelligendi principium: quare nec propria natura diceremur intelligere, non secus, quàm si motus localis initium in nobis haud esset: quo casu minimè naturâ moueri diceremur, quòd uel apertè colligi potest ex libris Physicarum auscultationum: sanè bifariam huic obiecto fieri satis potest, primò quòd licet intellectus possibilis deforis accedat, ut pote immortalis: ac per consequens huiusce corporis naturalis minimè species esse queat, nihilominus inest huic organico corpori, principium intrinsecum intelligendi: non actiuum, quidem (quãdo constet illud esse rationalem potentiam deforis accedentem) sed passiuum, quo modo primo cœli scriptum reliquit Auerroes: nempe cœlum ipsum quanquam ab extrinseco motore circunducitur, ab adsistente uidelicet intelligentia: nihilosecius idem cœlum corpus naturale fuerit, & eodem motu circulari secundum naturam cietur: quia licet perpetui motus sui circularis illius, actiuum in se principium (quod est intelligentia) minimè possideat: attamen initium motus eiusdẽ passiuum in proprijs (ut ita dixerim) gestat

uiſceribus includit: cuius uirtute, & corpus naturale, & moueri ſecundum naturam, optimo iure dicitur. Ita de organico atq; omnium temperatiſſimo fingere liceat hominis corpore, ſcilicet illud idem ad intelligendum, aptum miris modis atq; propenſum eſſe, modò motor extrinſecus haud deſit; qui uirtute ſua, corporis aptitudinem ad actum aliquando deducat: quæ quidem aptitudo, ſiue ad intelligendũ propenſio, uel præparatio (quomodocunq; adpelles nihil refert) mea quidem ſententia, paſſiuum intelligendi fuerit initium. Secundò reſpondere liceat, intellectum quantumuis incorruptibilem, eſſe corporis ſpeciem. quãuis enim Philoſophus teſtetur ſpecies rerum corruptibilium elici, deduciúe de potentia (quod paſſim dici ſolet) materiæ: nihilominus haud negat, ab incorruptibili ſpecie nonnunquam formari poſſe, perficiq; materiam: quando quæſitum iſtut duodecimo Methaphyſices tacitè uideatur nobis indicaſſe, neq; tamen uſpiam obiectum diluiſſe deprehendatur: adeô materiam à ſpeciebus ſcilicet corruptibilibus formari, nõ eſt perpetuò uerum, ſed ut in pluribus ita euenire conſueuit, quando ratio naturaliſ dictet, ſi non demonſtratiuè, ſaltem probabiliter: nempe fieri poſſe, ut ſpecies quæpiam intelligentiarum incorruptibilium imperfectiſſima, & ob id corruptibilibus ſimilima ſubſtantijs: ſcilicet (quod abundè ſupra dictũ eſt) in accidentibus cùm incorruptibili, tùm corruptibili naturæ communi-

bus

bus: organico naturali corpori, uidelicet omnium corruptibilium perfectissimo, quippe quod in confinio est incorruptibilis atq; corruptibilis naturæ, quemadmodum & ipsa creditur esse rationalis facultas: fieri potest inquam, ut species isthæc incorruptibilium imbecilima, ratione similitudinis uelut amore capta, secundum naturam organico corpori, quālibet corruptibili copuletur, immisceat se ipsam: scilicet quatenus id speciei licet incorruptibili, dein illud idem informet atq; perficiat: idq; ut summum rerum opificem, superioresúe sequatur & imitetur intelligentias, quæ præter id, quòd intelligunt atq; contemplantur: corporeas insuper sphæras instinctu quodam naturæ suæ circunducunt. adeô passiuum hunc intellectum quenlibet, corpus proprium pro arbitrio mouere propria natura, uelut sphæram eius propriam; si non demonstratione, dialectica saltem ratione coniicimus, atq; colligimus, cui quidem sententiæ, uel eruditi plures (ut sanctus Thomas) ultrò subscribunt.

DVODECIMA RATIO.
Cap. XXV.

tiplicationem corporum: omnino ſequeretur eoſdem intellectus, eſſe numero infinitos, ac ſic eæ immortales intelligentiæ forent infinitæ, cum eorum quoque corpora per ſucceſſiuam generationem infinita eſſe conſtet. ſi liceret hoc loco ſemel aduerſarios eludere, uel tantiſper ſubterfugere, diceremhic utiq; poſſibilem quenuis intellectum, ab interitu corporis extemplò corpus aliud ingredi formareq;: ac ſic rationalium animarum quodam circuitu determinatum numerum, ſupereſſe poſſe, formandis corruptibilibus hominum corporibus, quanlibet per ſucceſſiuam generationem infinitis. Verumenimuerò magis à ratione aliena iſthæc opinio uideatur, quàm ut ab eruditis impijs, nedum pijs admitti uel audiri debeat. Cæterùm huius obiecti ſolida confutatio, quum ſuo quodam iure uolumen penè requirit integrum, in aliud tempus eandem idcirco uel data opera conſultoq; reijcimus.

EIVS OPINIONIS QVAE PLAtoni adſcribitur confutatio, nempe quòd homo nil aliud ſit, quàm ipſa rationalis anima. Cap. XXVI.

PLATO *teſtatur hominem nil aliud eſſe quã ipſam rationalem facultatem, quam opinionem ſummæ uir eruditionis ſimul ac pietatis, Hiero-*

Hieronymus Sauonarola Ferrariensis, in opere cui titulus est triũphus Crucis, libro pri. capite decimo quarto, ualidissimis rationibus refellit atq; conuellit, quarũ prima sic habet: Si homo totus esset anima rationalis, sequeretur hominem haud esse sensibilem, ac per consequẽs nec animal: præterea sequeretur, quòd à corpore semota sublatáue rationali potentia, corpus ipsum permaneret nihilosecius, ac prius: quando mobile ne latum unguem (quod dici solet) immutari uariariq; cõsueuerit; scilicet quo ad substantiam, semoto sublatoq; eiusdem extrinseco motore: atq; ita consequitur, humanum corpus haud ui uere per animam intellectiuam, nec hominem pariter ex animæ rationalis, corporisúe copula conflari: quemadmodum nec ullũ aliud mobile gigni dicitur, quotiens ei motor adnectitur: atq; ita homo nusquam generatur, supposito (id Plato nequaquam it inficias) quòd anima rationalis sit incorruptibilis. adhæc sequetur hãnc enuntiacionem esse falsam uidelicet, quòd homo generet hominem: ac sic in humano genere neq; pater fuerit quisquam, nec filius. uerum enimuerò crediderim Platonem nuncupasse rationalem potentiam, hominem integrum: non quòd non putarit omnino, corpus esse portionẽ hominis,

Ethicorum decimo. satis euidenter colligere liceat, cuius uerba sic habent: Si igitur mens cum homine comparata diuinum quiddam est, uita quoq; menti consentanea, diuina sit necesse est, si cum humana conferatur. Neq; uerò nos oportet humana sapere ac sentire (ut quidam monent) cum simus homines: neq; mortalia cum mortales, sed nos ipsos (quò ad fieri potest) à mortalitate uindicare, atq; omnia facere, ut ei nostri parti, quæ in nobis est optima, conuenienter uiuamus. Nam etsi mole parua est, potestate tamen & honoris gradu, longè omnibus antecellit: Atq; pars hæc esse quisq; uideatur, si quidem id, quod principatũ obtinet, etiam melius est: Absurdum igitur fuerit, si non suam, sed alienam uitam expetat & sequatur. Præterea quod ante à nobis dictum est, etiam huic loco conueniet. Nam quod cuiusq; proprium est naturâ, idem & optimum cuiq; est & iucundissimũ: ergo & homini optima ea uita est, quæ menti conuenienter traducitur, si quidem hæc pars homo est maxime. Hæc igitur uita & beatissima, hæc ille. Ad hunc eundem sensum Aristoteles idem octauo Methaphysices loquutus est, inquiens: Qui dicit hominem, dicit formam hominis.

DEMON-

DEMONSTRATIO CAVSAE SEV propter quid, qua destruitur unitas intellectus ab Auerroe conficta. Cap. XXVII.

HOC eodem libro supra sustulimus è medio rationes, quibus probari poterat unitas intellectus, quam Auerroes unà cum Græcis aliquot interpretibus inuexit. nunc quod omissimus eo loco, siue per incuriam, seu quòd nimia tunc mole rerum obrueremur, demoliendum est, atq; radicitus euellendum: scilicet monstruosum istud figmentum, idq; non rationibus dialecticis, sed ratiocinio (ut mihi quidem uidetur) demonstratiuo, uidelicet eius generis, quod demonstratio causæ, seu propter quid nuncupari solet, hinc sumpto initio: Operum subiecti cuiusuis propriorum (de communibus enim quòd minimè scientiam pariant, non est, quòd disquiramus) quædam ita sunt propria, ut etiam sint eiusdē subiecti, à quo proficiscũtur, præcipua: uerbi gratia, calefacere proprium opus ignis fuerit, & præcipuum. itidem ratiocinari propria est hominis functio & præcipua, risibilitas uerò non ita: si quidem hominis sic esse creditur operatio, ut eiusdem

quam à subiectis diuelli, separariúe tantisper haud possunt, quin unâ cum ipsis, ipsa quoq; tandē subiecta corruant, atq; corrumpantur: nihilosecius eadem opera per imaginationem abstrahi queant à subiectis, quorum opera dignoscuntur esse propria, idúe subiectis penitus illæsis. Atqui subiectorum functiones cùm propriæ, tùm primariæ, non modò secundum rem (quod dici solet) uerùm etiam secū dum rationē ullatenus à subiectis, quorum esse propriæ deprehenduntur operationes, abscindi secerniúe nequeunt: exempli gratia, ut donemus è medio sublata risibilitate, statim hominem interire, ita fingere liceat hominem (ut ita loquar) irrisibilem, qui tamen adhuc homo sit, ac prius: adeô per imaginationem submoueri risibilitatem ab homine, scilicet seruata nihilosecius eiusdem hominis specie, nemo planè diffitetur. Verumenimuerò nemini prorsus fingere, imaginariúe liceat hominem, è medio sublata (quæ species eiusdem esse creditur) rationalitate, seu ad ratiocinandum aptitudine. His itaq; suppositis, argumentor hunc in modum: Aptitudo ad functionem edēdam subiecti cuiusuis propriam atq; primariam, est inseparabilis, & secūdum rem, & secundum imaginationem à subiecto proprio: At potentia ratiocinandi est aptitudo, ad producendam operationem propiam hominis atq; præcipuam: Ergo potentia ratiocinandi est inseparabilis ab homine, cùm secundum rem, tùm etiam secun

dum

dum imaginationem. hoc argumentum sanè fuerit demonstratio propter quid, quando per propriam causam, quæ est aptitudo ad producendam operationem propriam: planè cognitionem effectus ignoti naturaliter; nempè quòd & secundum rem, & secundum imaginationem inseparabilis sit ratiocinandi potentia, largiatur. atqui si daretur semel unus in omnibus (quod illi fingunt) intellectus, qui minimè sit hominis species, sed tantùm adsistat nobis, haud secus ac mobili motor: omnino liceret hominē imaginari, secluso penitus eodem intellectu, seclusáue prorsus eiusdem adsistentia. Quam ob rem quū à nobis homo consyderari possit abundè cum sua forma (quæ secundum Auerroem cogitatrix est facultas) seclusò quanlibet unici communis illius intellectus fauore, sine quo prorsus homo nequit intelligere: sequitur profectò uelimus nolimus, hominem concipi posse separariq; per intelligentiam, ab aptitudine ad ratiocinandum, quòd haud dubiè propriū eiusdem hominis opus est ac præcipuum: At id fieri nequit, quando demonstratio superius adducta, penitus oppositum concluserit, atq; collegerit; ergo monstruosum est unitatis intellectus inuentum.

FINIS.